
V
B J
C

No 617

I: Bor: ~~No 54.~~
~~42.~~ 41.

CENSURA
PROPHETIARUM
DE
ROMANIS PONTIFICIBUS
QUÆSTIONIBUS MULTIFARIIS ILLUSTRATA
&
COMPREHENSA.

AUCTORE
R.P. GEORGIO GENGELL.
SOCIETATIS JESU THEOLOGO.

****

LEOPOLI, Typis Collegii Societatis JESU. Anno 1724.

S. Paulus in Epistola 1ma ad Thessalonicenses, Cap: 5to. *Prophetias nolite spernere. Omnia autem probate, quod bonum est, tenete.*

S. Hieronymus in Commentario suo super Epistolas S. Apostoli, sic explicat. *Prophetias nolite spernere &c.* Sive futura prædicentes, sive præterita differentes: tantùm ut probetis, si veritati non sunt contraria, quæ dicuntur; si quid tale fuerit, REFUTATE.

ILLVSTRISSIMO
EXCELLENTISSIMO & REVERENDISSIMO
DOMINO.

D. IOANNI SKARBEK

ARCHIEPISCOPO METROPOLITANO
LEOPOLIENSI.
ABBATI PLOCENSI.
DOMINO & PATRONO FAVENTISSIMO.



Enſura, quam exigua hæc Lucubratio præſentat, aliter prodire non audet de tenebris, nisì illam *Tibi* porrigam *JLLUSTRISSIME REVERENDISSIME ARCHI-PRÆSUL*. Sanè penetratis undiq; circumſtantiis, peccaret in ſolem *Cenſura*, ſi antequam lucem publicam aſpiciat, nondum ſe ſiſteret *Tuo* conſpectui, quem ſive Authoritate Metro-

politana, Supremum suæ Ecclesiæ Arbitrum; sive Majorũ Titulis, sive Togâ, inter Purpuratos Patriæ Patres, Gravissimum Patrem, ubiq; suspiciunt, adorant universi. Amabant quidem umbras suas, tum Malachiæ, tum Joachimi cæterorumq; nomine pervulgata vaticinia: serpebant etiam Pseudo-prophetiæ iniuriosæ in Ecclesiam Christi, ejusq; sũmos & Sanctissimos Antistites, delitescebantq; eorum imagines sub ænigmatibus, quibus nonnisi facilis (ut solet) vulgi credulitas, fidem, quam non noverat, faciebat: sed jam obscuris coloribus fucum detrahent splendores Tui: atq; sub Archi-Præsulei oculi perspicacia, Veritas eò clariùs illucescet, quò eam profundior ignorãtia sepeliverat. Debet enim illa sic coram *Te* comparere Doctore Sapiẽtissimo, cui Lauream Roma dedit, ut vel subreptitii partus suis exauthorati nominibûs rejiciantur: vel convicta suæ falsitatis commẽta, procul ab eruditorum mentibus expungantur. Ita prodibunt Romani Summi Ecclesiæ Pastores sub Tuis insignibus, omni ænigmaticâ umbrâ liberi, ut Sanctos, imò Sanctissimos decet: ibit fama e latebris sive *Gentilitiâ Tuâ Literâ* doctior, sive præcellentis *Tuæ* virtutis nitore, sive *Tui* Generis claritate vocalior. Hic Ego ad Altissimæ *Gentis Tuæ* non descendo Cunas, Cracio sublimes Vavelo, excelsas magnanimitate, invictas fortitudine. Nota Orbi, Principis Familiæ Vestræ Auctorisq; Historia, cui tantùm audere datum est, ut monstrum illud, prognatam ad Vistulæ

ripas

ripas Hydram, citra Herculis commenta triumphârit. Id erat præludium felicissimorum cum Henrico Imperatore certaminum, quæ magno animo *JLLUSTRISSIMUS JOANNES SKARBEK*, Polonam Majestatem in exteros ferens Legatus est aggressus; & aggressus illa mente, quæ pro Gentis, & suâ esset Majestate. Opes illi in nervum belli contra Poloniam movendi collectas Augustissimus aperuerat; sed dives generoso Spiritu Legatus, ut pluris emeretur Regnum, thesauris annulum adjecit, docuitq; nondum tanti esse illud ærarium, ut mercãdo Regno sufficeret. Egit tamen gratias Henricus, quibus insignitum stẽma *Abdank*, auctũq; à Thesauro nomen, *JLLUSTRISSIMUS SKARBEK* in Patriam reportavit. At hæc Jllustrissimi Legati munificentia, Imperatori quidem, sed homini contigit; verùm à *Michàele, Rusleo, IOANNE SKARBEK* Numen etiam numeravit opes, quorum alter, Lubinensem Divi Benedicti Eremum, Solejoviensem alter, Coprivnicensem ille plantavit; floretq; usq; hodie pretiosa, quòd Authores suos planè aureos nacta fuerit. Quid ille Regni Primas, Primusq; Princeps, Prorex Poloniæ, *Vlostiborius Skarbek*? Virtute & dignitate maximus, fortunatus vel ideo, quòd pro æquitate certantem, sua dignum irâ Vlodimirius Princeps censuisset. Cracovienses Infulæ, *Lamperti* Sublimes vertice; Posnanienses, *Petricii*; & si tot natura effudisset *Skarbkones*, quot seu Sacræ seu profanæ

curules

Curules ambiunt, omnis in una Domo foret honor. Sed auri haud prodiga tellus, profunda demiſsione adorari volunt mõtes, ut aliquid è nobiliore gleba porrigant, & ſæcula rogari, *ut Skarbkones* è ſuo ærario concedant honoribus. Quãquam munificentiam naturæ quid querimur? liberalis in Regnum, omnes ditavit Provincias; temporum accuſemus avaritiam, quæ pretioſa nomina faſtis denegavit. Laboravit tamen fortuna, ut nonnulla ſervâſſet honoribus, poſterorum memoriæ tranſmiſiſſet ad virtutis admirationem. Vidimus illius gratiâ ſervatos Illuſtriſsimos ac Invictiſsimos Caſtrorum Imperatores, Hectores Lechiæ, *Skarbimirium SKARBEK, Vſeboiumq;*, quorum dexteritate hoſtes cæſi. Vidimus in Palatinis Sandomirienſibus Purpuris, *ADALBERTUM*; in Laticlaviis Caſtellaniæ Cracovienſis, *Skarbimirium*, Caliſsienſibus *NICOLAUM*, Radomienſibus *STANISLAUM*, hos adoravit honor, ſibiq; tunc primùm placuit, cùm tantis nominibus ligaretur. Mitto longam illorum Seriem texere, qui Polonas Curules impleverant; nemo enim in Pæſta, ad calculum vocãdis ſuffecit roſis. Non tamen *Illuſtriſſimi Parentis Tui CHRISTOPHORI SKARBEK*, Halicienſis Caſtellani Purpurata virtus pennam fugiet; vivit Heroibus, grandis anima, Faſcibus honor, Senatui Conſus, Reipublicæ Amor, omnium Deſiderium. Illo Ariſtide triumphabat Iuſtitia; illo Senatore animabantur conſilia. Et ne tantum Patriæ columen cecidiſ-

ſet,

ſet, *VLADISLAUS SKARBEK* honori Paterno ſucceſsit; ſucceſsit virtuti *ANTONIUS*. *Tu Illuſtriſſime ARCHI-PRÆSUL* Fratribus Patreq; Major, nimirum *JOANNES*. Acceſsit magnis Fratrum Nominibus, ſive Regiminis eminentis dignitate, ſive pietatis eximio decore, Parthenonis S. Benedicti, Reverendiſsima Abbatiſsa *Urſula Theophila Soror Tua*. In Ea, vivam omnigenæ probitatis Imaginem, vitæ innocentiſsimæ Ideam ſpectat, Sanctus ille Virginum, ſeu potius Virtutum Cætus & ſui Inſtituti Principem Divam *Scholaſticam* ſibi revixiſſe gratulatur.

Tu verò *Illuſtriſſime* Effulges Primitiali Ruſſæ dignitatis ſplendore Phæbus in Metropolitano Cælo; non uni *Tibi Illuſtriſſimos ſervas Titulos*; Luceorienſibus, Chełmenſibus, Kijovienſibus Infulis donâſti Capita Emeritiſſima, ut jam *Te Archi-Præſule*, Prælatorum Collegium, Præſulum Seminarium audiat, Sacrarumq; Nidus Purpurarum. Et hic eſt *Tui* ſplendoris radius, quo affulgente ad Infulas venitur, cujus felici lumine quiſquis tangitur, ad dignitatum faſtigia, ad fortunæ favores elevatur.

At cùm Eccleſiis vigiles Paſtores educas, Eccleſiam ipſàm quo Paſtorali amore proſequeris! quibûs curîs decorem Domus DEI attollis! Mirabatur ſe Metropolitàna Eccleſia ſeu temporum injuriâ, ſeu vetuſtate, rugas fuliginemq; contraxiſſe; hodie à *Tua* ſolicitudine, ita latiorem

fron-

frontem explicat, induit ornamenta, ac si primùm suo sereno nasceretur. Quos illi nitidiores apponis lapides, Memnones putamus, qui *Tuo* illustrati splendore *Te* loquantur. Sanè mutis parietibus suus non deerit sermo in *Tui* famam, Verbum habebunt intra medullam cordis; cui illam Cathedram elaboras, ex qua sui cultum, populum edoceat. Portatile illud Eucharistico Numini dum erigis Palatium, seu aureum vehiculum defigis in Altari, quô Divina latens sub velo fidei, Majestas circumferatur, abundè exhibet, quàm pretioso in Conchylio Gemma hæc lateat *in Tuo Pectore*, quantamq; illi in Animo comis puritatem, si inter Aras purissimo auro, velut Arcam fœderis inclusisti. Inhiabat quidem huic, quod in decus Numini datum est, metallo effrenis de Baltide Leo, emensoq; æquore, ut rapuisset prædam, involavit Metropolim; sed divitem offam subtraxisti faucibus zelosissimus Sacrorum Custos, & spem belluæ interemisti. Quin imò vitam furenti objeceras feræ, discriminibus exposuisti; tanti *Tibi* fuerat Christi patrimonium, ut vitam contempseris. Favit utriq; benignum Numen, integritatem *Tuam* propugnavit reciproco affectu, & suas opes; at *Te* unicè, quòd *JOANNEM*.

Hiccinè stetit *Tua* in Numen pietas *Illustrissime*? aureo passu progressa longiùs, quô *Illustrissimum Parentem* excessisti. Canonicam Mensam ampliâsti, cujus initia *Illu-*

Illustrissimus Castellanus posuerat; Tu ultra vota illius ivisti, millenîs gratiîs Canonicam augendo Curulem.

Mittamné illam solicitudinem, quâ Metropolitanæ Diæcesi laborasti? Eruditum Domicilium Clero, incudem pietatis, Gubernatorum Ecclesiarum Nidum, Sanctorum Sacerdotum Ærarium, optabant pridem omnes, cogitârunt multi: *Tu Illustrissime Archi-Præsul*, vix cogitaveras? fecisti. Viduatæ plerumq; Ecclesiæ Pastoribûs, sive fati inclementiâ, sive annosa deterente vires ætate, multo antea luctu afflictæ huc recurrent; accipient solatia lacrymarum, sponsos sibi emeritos; at *Te Illustrissime* istarum gratiarum fontem coronabunt. Crescent eruditæ plantæ à sanctiori Hortensio insitæ, *Archi-Præsuleo* sudore aspersæ, *Tuis* virtutibus excultæ, aureos dabunt fructus, qui honoris Divini sapiant incrementa, creditum sibi gregem nutriant, invitent pretiosô exemplô, ne ad vilia se flectant animæ. Immortalium gratiarum perennis famæ uberiorem fontem aperuisse non poteras *Archi-Antistes* vigilantissime, avitam enim literam Gentilitiam *Tuam*, quisque appendet pectori, hanc leget Ecclesia, legent sæcula, leget Cælum, & dicet *Abdank*.

Jam à pagina *Tuîs meritîs* gravi manum moverem, sed *Pietatis Tuæ* argumentô nostris sæculis singularî vin-

cor: ut extra mænia penna evolet. At quo tandem in illas oras mitto ſtylum, quibus ſacras dediſti ædes, erexiſti altaria, Incolam feciſti Numen, quàm culta *Dunajowiæ, Kozłowiæ, Konkolniciisq̃;* adyta! ultra terras ſublime caput efferunt, Religionem *Tuam* oſtentant, & jam Cælo inferunt erigentis manum, nec munificentia *Tua* in Superos repere humi poteſt: non enim ſe telluri dedit, ſed ſideribus. Excitatam ſibi Domum ſpectat DEUS, ſpectant Cælites, nec ſterilî oculô, æterna *Tibi* diſponunt Palatia, quibus *Te* ſera fata inferant: ut qui hos intuliſti Terris, ab illis doneris Empyreô. Et non longè aberat, quominus ſuperas illas ædes ingredereris, clementiam tamen Numinis inclinârunt vota omnium, quibus minima noſtra adjecimus, numerum ſaltem facturi, ſi non efficaciam: quid enim grande? quid æſtimatione dignum à minimis, ſummis contingeret? in Aris pro *Te* Filium unicum ſuo æterno Patri obtulimus, ut ſervâſſemus Paſtorem, Agnum immolavimus; Paſtorem inquam, ſub cujus virga, Minima Noſtra creſcit Societas: hâc ſe tuetur, illi innixa adversîs ingruentibûs ſtat inconcuſſa. Attollis illam *Illuſtriſſime Archi-Præſul* quoties arietamur: ictibus etiam cruditis opponis ſcipionem, & acumen obtunditur, profectus ſiſtitur; nos interim ſub Archi-Epiſcopali Pallio tranquilli, *Tuis* fruimur favoribus, *Te* ſpiramus. Et tunc altiſsima Cælo miſimus ſuſpiria, cùm *Te* fama exſpirantem declamaverat: ſuperis Gratiæ,

quòd

quòd imos anhelitus nostros acceperint, ut *Tibi* restituerent. Accessit credo robustius Suffragium Divæ Matris, quæ ut à *Tua* manu in Socaliensi simulacro Coronam acciperet, institit: iterum suum Caput sub *JOANNIS* missura dextram. Annuit DEUS votis: accepit Regina Mundi Diadema à Primate Roxolano.

Cùm ita Divina cùras *Illustrissime*, ut virtute *Archi-Præsulea* cæteros excellas, etiam vitæ subsidia, patrimonium Christi, ne in ruinam declinet, sagacissimâ arces diligentiâ. Exsucca calamitatibus prædia, *Te* vigile impinguantur, & quam ditia inopiâ accepisti, tam inopia egestate conservas. Archiepiscopalem Aulam qui nunc viderit, negabit unquam sui fuisse similem, omnis prope à *Te* illi decor: adjecisti tamen alium, quia *Te* Gemmam Præsulum, non aliâ decuit claudi Conchâ. Illud *Tibi Illustrissime*, *Tua Metropolis* declamat Elogium, quod sibi Augustus olim; lateritiam accepisti, relinquis marmoream. Vident tam excelsæ virtutis *Tuæ* vestigia Nepotes dignissimi, *CHRISTOPHORUS & RAPHAEL* & suos illis aptant gressus, suum uterq; Patruum daturus sibi. Ibunt *Te Præduce* sive ad Infulas, sive ad Murices: id spondet indoles, id Nomen, id Virtus spondet: Honor ipse divites comit Purpuras *Skarbkonibus*. Hæc ego recensui, ut *Te*, quod quidem palam est, in summitate meritorum constitisse demonstrarem: ideoq; summorum Romæ Capitum

Nomi-

Nomina, procul omni rejecta umbra *Tuo* favori insinuarem. Sub Archipræsuleum Pallium, in hac Lucubratione veniunt, ut illud Pallium humanæ Opinioni detrahant, cui hucusq; involuta evolvi poterant difficulter, & lucem ab *Illustrissimo* accipiant. Acclamat *Tibi* posita in hac luce Veritas, ut vivas illius *Vindex*, vivas bono publico Senator, Metropolitanæ Diæcesis *Præsulum Caput*, omnium *Amor*, Beatissima vivas sæcula; idem acclamat etiam.

JLLUSTRISSIMO

&

REVERENDISSIMO

NOMINI TVO.

Devinctissimus

GEORGIUS GENGELL

Societatis JESU.

APPROBATIO.

LIbrum, cui Titulus, *Censura Prophetiarum de Romanis Pontificibus*. Legi, conscriptum ab Admodum R. P. Georgio Gengell Societatis JESU doctissimo Theologiæ Scholasticæ consummato Professore, nunc Rectore Collegii Leopoliensis S. J. & cùm liber ille nihil contrarium Fidei & bonis moribus contineat, quin, imò pro Dignitate Sanctæ Sedis Romanæ gloriose decertet, dignum luce publica censeo, & imprimendi facultatem perlibenter concedo. Datum Leopoli in Residentia DD. Canonicorum Leopoliensium, 12 Julii, Anno 1724.

JOANNES THOMAS JOSEPHOWIC ProtoNotarius Apostolicus, Canonicus Leopoliensis, S. R. Majestatis Secretarius, Ordinarius Librorum per Archidiæcesim Leopoliensem, Censor.



FACULTAS

R. P. Præpositi Provincialis Societatis JESU per Poloniam.

Cùm Opus quod inscribitur *Censura Prophetiarum de Romanis Pontificibus &c.* à Patre Georgio Gengell Societatis JESU Theologo conscriptum, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, potestate mihi facta ab Admodum R. P. Nostro Michaële Angelo Tamburino, præfatæ Societatis JESU Præposito Generali, facultatem concedo, ut Typis mandetur, si iis ad quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratiâ, has Literas manu mea firmatas & Sigillô munitas dedi Cracoviæ. 11 Junii, Annô Domini 1724.

MARTINUS TRAMPCZYNSKI
m pp.

PROLOGVS.

LUcubratio præſens continet Quæſtiones ſeptem, in quibus cenſurantur, & meritò (ut ſufficienter patebit) reiiciuntur Prophetiæ ſequentes. Scilicet.

In prima quæſtione cenſuratur & repudiatur Prophetia Pſeudo-Malachiæ de ſucceſsione Summorum Pontificum.

In Secunda Quæſtione, non admittitur Prophetia, quæ attribui ſolet Ioachimo Abbati, de futuris Romanis Pontificibus.

In tertia, quarta, & quinta Quæſtione reiiciũtur Prædictiones hæ. 1. *Nullus Papa videbit annos S. Petri.* 2. *P. non erit Papa.* 3. *Si Papa aliquem canonizaverit, brevì pòſt morietur.*

In ſexta Quæſtione multæ Prædictiones Lutheri de Romanis Pontificibus, patenter erroris convincuntur. Et oſtenditur Prophetiam ex Apocalypſis Cap. 9. v. 1. & 2. deſumptam, verè convenire Luthero.

In ſeptima demum Quæſtione evidenter demonſtratur, Prophetias quaſdam ex Scriptura Sacra deſumptas, nonniſi per ſummam Calumniam, impudentiſsimè à Luthero, Calvino, eorumq; iuratis Aſſeclis, applicari Romanis Pontificibus. Oſtenditur item, nullum vaticinium contineri de Luthero in Hymno Ambroſiano. Demum in eadem Quæſtione 7ma, proponitur Antiquorum Patrum & Conciliorum ſenſus, de Romana Eccleſia, & eius Viſibili Capite.

Patri-

Patriarcha Novatorum Lutherus *in Aßertione Articuli 25ti.* scripsit. *Qui semel mentitur, hic certissimè ex DEO non est, & suspectus in omnibus habetur.* Item in Libro contra Emserum fol: 150 ait. *Si semel deprehenderer mentitus,* jam tota mea Doctrina & honor Fidei, & fidelitas finem penitus haberet: unusquisq; me pro nequam & infami nebulone, ut æquum est, habiturus eßet. Et en in Quæstionibus illis duabus 6ta & 7ma huius Lucubrationis, Lutherus, quin & Calvinus, multorum enormium & calumniosorum mendaciorum patenter convicti sunt. Hinc prudens Lector inferat, quid ei de utroq; sentiendum sit. Eximio autem in pretio, cum summa veneratione habendos esse Romanos Pontifices, Ecclesiamq; Romanam, testantur Columnæ veritatis, Scilicet SS. Antiqui Patres, & Concilia Generalia, ut patet ex Quæstione 7ma fol: 107. nec non à folio 119 ad folium 128vum.

Fateor, Doctorem Gentium in sua Epistola 1ma ad Thessalonicenses cap: 5. scripsisse. *Prophetias nolite spernere.* Ast ex nunc Eum addidisse scio, *Omnia autem probate, quod bonum est, tenete,* Ut scilicet iuxta Explicationem S. Hieronymi superius annotatam, veris Prophetiis retentis, aliæ quæ Veritati contrariantur, reiiciantur & refutentur.

Porro hic in Quæstione 1ma, 2da, 3tia, 4ta, 5ta continentur Prophetiæ, nulli fundamento innixæ, imò & à veritate deflectentes, ut in iisdem Quæstionibus, si non evidenter, saltem sufficienter probatum est, ideo eas reiiciendas censeo; quod etiam nonnulli Eruditissimi Scriptores ante me censuerunt, quibus & Te Lectorem, veritatis amantem, ex integro, & animô sedatô, perlecta hac Lucubratione, accessurum, non diffido.



QUÆSTIO I.

Quidnam ſentiendum de Prophetia, quæ Nomine Sancti Malachiæ Epiſcopi Hyberni, circumfertur, in qua, omnes Romani Pontifices, futuri, incluſivè à Cæleſtino ſecundo, uſque ad Mundi finem, per Symbola, & emblemata, deſcribuntur?

Antequam Reſpondeam.

PRæmitto 1mo. Arnoldus Vion, Duacenſis, Belga, Religioſus Sancti Benedicti, Anno 1595. edidit Chronicon, ſeu Ordinis ſui Hiſtoriam, cui titulus: *Lignum Vitæ, Ornamentum & decus Eccleſiæ.* Ille ergo,

Quisnam primus Scriptorū meminit illius Prædictionis?

go, (*Nota bene.*) primus Scriptorum, inter alia, de Sancto Malachia, habet hæc: *Scripsisse fertur & nonnulla Opuscula de quibus nihil hactenus vidi, præter quandam Prophetiam, de summis Pontificibus, quæ, quia brevis est, & nondum [quod sciam] excusa & à multis desiderata, hic à me proposita est.* Poniturq; cum explicatione sic.

Ex Castro Tyberis; Cælestinus secundus. *Typhernas,* seu natus Typherni, quod est Castrum ad Ripam Tyberis. Et ita consequenter usq; ad Urbanum septimum, qui taliter describitur. *De rore Cæli.* Antea Episcopus Rossanensis in Calabria, ubi manna legitur: addit deinde Vion, Nomina aliorum trium.

Ex Antiquitate Urbis. Gregorius XIII.
Pia Civitas in Bello. Innocentius IX.
Crux Romulea. Clemens VIII.

Demum 35 reliqui futuri, recensentur sine nominibus. Totum Schema Prophetiæ illius, vide ad calcem hujus Quæstionis. Porro Prophetiam illam, inclusive ad Urbanum VII. (*Nota bene*) non explicavit Sanctus Malachias, ut certum est, faseturq; locô citatô, ipse Arnoldus Vion, sed solus & fere unicus R.P.F. Alphonsus

Quis eam interpretatus est?

Ciaco-

Ciaconis, ex Celeberrimo Ordine Prædicatorum, qui fere eodem tempore vixit cum Arnoldo, scilicet Anno 1590: ab Urbano vero VII exclusive, ad Pontificē Innocentium XIII inclusivè, explicârunt alii pro suo placito.

Præmitto 2dò. Sanctus Malachias (ut constat ex Divo Bernardo) natus est in Hybernia, Anno 1094 ex Parentibus, Genere, & potentiâ Magnis; trigesimo fere ætatis suæ Annô, consecratus in Episcopum Connerethensem: postea circa Annum trigesimum sextum ætatis suæ fit Episcopus Ardinachensis, & Primas totius Hyberniæ, dein, quinquenniô transactô in illa Sede Archiepiscopali, constituit pro se Gelasium Virum bonum, & dignum tali honore, ipse verò factus, Dunensis Episcopus: obq; certa quædam negotia Ecclesiastica, conficienda, pergendo Romam, ad Claram Vallem divertit. *inveniq;* (inquit Sanctus Bernardus de se) *gratiam in oculis ejus, extunc & deinceps, usq; ad obitum Ipsius.* Romæ præsens, ab Innocentio II, Papâ, cum multis lacrymis implorabat, licere sibi vivere & mori in Clara Valle; non autem obtinuit, sed illi commisit vices suas per universam Hyberniam, Legatum illum constituens; confectis negotijs

Compendiū vitæ Sancti, Malachiæ.

redeundo in Hyberniam, invisit secundò Claram Vallem, alta suspiria trahens, quòd non liceret sibi pro suo desiderio, ibidem remanere. Post innumeros labores, pro DEO, in Anglia, Scotia, Hybernia, exantlatos, multa, Prophetiæ Spiritu, prædicta, plurimaq; stupenda prodigia, patrata, dum secundò pergit Romam, divertit tertiò ad Claram Vallem; ibi (verbis utor Sancti Bernardi.) *Die Solenni Beati Lucæ Evangelistæ, Missâ, in Conventu, suâ illâ Sanctâ Devotione, celebratâ, febre correptus, lecto decubuit, - - jubet se Sacrô Oleô inungi - - ungitur, & sumptô Viaticô, Fratrum se Orationibus, & Fratres commendat DEO. Anno ætatis suæ quinquagesimô quartô, loco & tempore, quo præelegit & prædixit Malachias, Episcopus, & Legatus Sanctæ Apostolicæ Sedis, velut è manibus nostris assumptus ab Angelis, feliciter obdormivit in Domino. - - Parantur Exequiæ, offertur pro eo Sacrificium, consummantur ex more omnia, cum summa devotione. Omnibus ritè peractis, in ipso Oratorio, Sanctæ DEI Genitricis MARIÆ; in quo sibi bene complacuit Malachias traditur sepulturæ, Anno ab Incarnatione Domini* 1148, *quarto Nonas Novembris.*

Hucus-

Hucusque in vita Sancti Malachiæ, à se conscripta, mellifluus Doctor, Sanctus Bernardus inquam, Claræ Vallensis Cænobii, Primus Abbas, aliorumque amplius centum sexaginta Monasteriorum Pater, & ob miraculorum multitudinem, sublimitatem scientiæ, zelum Gloriæ Divinæ ardentissimum, suavitatemque facundiæ, toto Orbe celebratissimus; quem ipse Calvinus lib. 4to Institut: Cap. 7. §. 12. vocat, *Virum Sanctum.* & alibi, *Pium Scriptorem.* O quam multiplex Fidei Catholicæ Romanæ Veritas brevi illâ historicâ narratione, Divi Bernardi Viri Sancti, & Pii Scriptoris, comprobatur! scilicet; Romanum Pontificem, non esse Antichristum, sed Summum Ecclesiæ Pontificem: Monasticam vitam DEO placere! Missam esse Sacrificium. Laudabile item esse, Sacram Eucharistiam, per modum Viatici, à periculose infirmis, summi, nec non extremam Unctionem.

Exinde multi Articuli fidei nostræ firmantur.

Præmitto 3tio. Divus Bernardus, Vitam Sancti Malachiæ, primus exacte & fuse conscripsit, impulsus ad id (ut ipsemet refert) tum intensis precibus Congani Abbatis in Hybernia, tum plurimorũ aliorum, qui fere, semper conversabantur cum Sancto Malachia, & quæ de hoc San-

S. Bernardus vitam Divi Malachiæ conscripsit.

Sancto Episcopo, certissime comperta illis erant, scribenda ei intimârunt; tum præsertim, quia cum Sancto Malachia, arctissimam contraxerat amicitiam. *Me* (inquit ipsemet, in Præfatione in vitam hujus Sancti) *inter speciales amicos, Sanctus ille habebat & eo loci, ut nulli in hac parte gloriæ secundum fuisse me credam. Nec mercede vacat mihi familiaritas Sanctitatis; Primitias jam accepi; in extremis positus erat = = accurri ego, ut Benedictio morituri, super me veniret; at ille, cùm jam membra alia movere non posset, fortis ad dandam Benedictionem, elevatis Sanctis manibûs super Caput meum, Benedixit mihi, & Benedictionem hæreditate possideo; & quomodo ego illum silere queam?* Extant etiam Divi Bernardi ad eundem Sanctum Epist. 315. 316. & 317. nec non sermo in Ejusdem Festivitate.

Eidem amicissimus.

His præmissis.

Censeo 1mo. Si non certò evidens, saltē certò probabilissimū est, Prophetiam hanc, de successione illa Ro-

Romanorum Pontificum, erroneè adſcribi Sancto Malachiæ: ſed eſſe commentitiam.

RAtio eſt. Quia non tantùm Divus Bernardus, amiciſsimus licet Sancto Malachiæ, ejusq; vitæ totius accuratiſsimus Scriptor (qui omnia majoris momenti concernentia hunc *Sanctum* ab ejus intimis Sociis communicata ſibi, habebat, ut dictum ſuprà) ſed etiam nullus omnino Scriptorum (in tanta copia Hiſtoricorum, Auctorum, quorum ſcripta in magna copia habentur, ab Anno 1148. de Actis & ſucceſſione Summorum Pontificum.) Hujus Prophetiæ ante Urbani VII Pontificatum, per Annos ſupra 440, ad Annum ſcilicet Chriſti, 1595. unquam meminit, etiam ſub hoc, multum de Probabilitate, diminuente Termino. *Fertur,* Primus Arnoldus Vion, modicæ Auctoritatis & Fidei Scriptor, poſt quatuor & ultra, ab obitu Sancti Malachiæ, elapſa ſæcula, nullius locupletis, vel etiam idonei Auctoris teſtimoniô ſubnixus, adducit illam Prophetiam, nec profert, unde eam

Probatur, Prophetiam illam non eſſe S. Malachiæ.

habe-

habeat? ex quo Manuscripto sit desumpta? An ex manuscripto S. Malachiæ, aut alicujus alterius scriptoris? quàm antiquo? ubi, in qua Bibliotheca inveniendo? qua fide transcripto? sed tantummodò dicit; *Fertur.* adeoq; solùm, ex plurium incerto rumore, id se desumpsisse, fatetur. Meritò hic locum habet, celebre, ac veritati consonum, illud Eminentissimi Baronii Effatum: *Quod à recentiore Auctore, de rebus antiquis, sine alicujus vetustioris Auctoritate, profertur, contemnitur.* Altumq; tot sæculorum in prædictis circumstantiis silentium, vocali intonat sonô; Prædictionem illam esse fictitiam.

Sanctus Hieronymus, (quem Ecclesia Orthodoxa veneratur, inter quatuor summos, tam in Doctrina, quàm in Eloquio Magistros) Periodos Pauli & Theclæ, & totam baptisati Leonis fabulam, inter Apocryphas Scripturas computat, ex eo, primariò, quòd nullam horum mentionem fecerit Sanctus Lucas. *Quale enim*) inquit ille in lib. de script: Eccles:) *est, ut individuus comes Apostoli, inter cæteras ejus res, hoc solùm ignoraverit?* Quidni etiam inter Apocrypha computari debet, dicta Prophetia. Quale enim

est,

est, ut inter Sancti Malachiæ Prophetias varias recensitas, illam solùm, tam celebrem ignoraverint, individui comitis sui, Sancti Episcopi, vel eam non intimaverint Divo Bernardo, vel hic Sanctus intimatã sibi, absolutè reticuerit, tum in vita ejus, à se conscriptâ, & in sermone de ejusdem Festivitate; Tum in Libris quinq; de Cõsideratione ad Eugenium 3tium, qui tamen in illa Prophetia, tertius est Ordine, describiturq; *Ex magnitudine montis.* Tum in quibuscunq; aliis scriptis suis, imò nec ullus alius ex Antiquioribus.

Confirmatur Censura Nostra. Tum ex dictis infrà in hac Quæstione. Tum quia ante aliquot Annos ex Italia, à Viro magnæ Eruditionis variarumq; Nationum Europæarum sensu, hac in Quæstione, peritissimô, ad me scripta sunt, hæc formalia: *Eruditi Viri, tum in Italia, tum Germania, Hispania, Gallia, valde dubitant esse verè Prophetiam Sancti Malachiæ circa successionem Pontificum, quæ dicto Sancto attribui solet: unde non sunt soliciti de explicatione, suppositæ Prophetiæ. Explicationes enim, quas, aliqui otiosi, afferunt; aliæ, risum movent; aliæ contemptum.* Nec non sat multi (in suis

libris impressis) Nobilissimi in Italia, Belgio, Gallia, Neo-Historici, inter quos sunt: Franciscus Carriere, Minorita Convent: D. Theol: P. Papebrochius, P. Menestrier, Prædictionem illam (forte non immeritò) appellant, rem futilem & ab incerto confictam Vaticinatore, & nullius debere esse momenti apud cordatos & probati ingenii atq; Auctoritatis Viros.

Censeo 2do. Prophetiam illam ab Arnoldo Vion adductam, & per R.P.F. Alphonsum Ciaconis explicatam, esse erroneam.

Prophetiã illã esse erroneam, demonstratur.

P*Robatur id ipsum multipliciter.* 1mo. Quia in illo schemate ponitur immediate post Adrianum IV, Victor IV: post Victorẽ, Calistus III; dein Paschalis III, demum Alexander III; cùm tamen Adriano IV immediatè successerit, Alexander III, verus Papa, legitimè, priusq; etiam tempore electus fuerit, quàm Octavianus, Sanctæ Cæciliæ Cardinalis, qui se dice-

bat

bat Victorem Quartum, fuitque Antipapa. Victori huic Antipapæ, succeſsit Anno 1164 Gvido, Cardinalis Cremenſis, dictus, Paſchalis III, etiam Antipapa, non verò Caliſtus III: modò primùm poſt obitum hujus Gvidonis, ſeu Paſchalis III, à nonnullis Schiſmaticis, quidam Joannes, Abbas Strumenſis, electus Anno 1170, qui ſe dicebat Caliſtum III.

Secundo. Quia in illa prædictione, ſucceſsionis Pontificum, veris ſummis Epiſcopis, à Spiritu Sancto electis, æqualiter, & promiſcuè immiſcentur, illegitime electi, Schiſmatici, ab Eccleſia anathematizati, octo Antipapæ. Imò hâc miſculentiâ, videtur aliquo modo inſinuari illos etiam, veros fuiſſe, ſummos Pontifices. Cùm nonniſi duo ex illis octo in illa Prophetia deſignentur eſſe Schiſmatici. ſcilcet ubi dicitur. *Cervus Schiſmaticus.* Anno 1328. item ubi habetur *Schiſma Barcinonicum.* Anno 1424. aſſerere autem etiam alios ſex Antipapas, veros fuiſſe Paſtores ſummos Eccleſiæ Catholicæ, eſt Hæreſis.

Omitto, quòd in illa prædictione prætermittatur *Vicedominus,* poſt electionem ſuam ipſa

 die

die defunctus, qui non videtur omittendus, fuit Minorita & Archiepiscopus Aquensis, electus post mortem Adriani V.

Tertio. Quia alter ævo suo Augustinus, eximius Doctor Franciscus Suarez in 3. p. Divi Thomæ, Disput: 53 Sect. 4. doctissime & solide probat ex scriptura Sacra, & ex Sanctis Patribus, ut Augustino, Cyrillo Jerosolimitano, Chrysostomo, Bedâ; à nemine posse affirmari, non solùm quô die, aut Annô, sed etiam quonam determinatô tempore, sit futurum Judicium extremum: Objectionesque in contra, clare dissolvit: Quod idem præstant, & alii gravissimi Theologi. Supposita verò certitudine illius Prophetiæ, facile sciretur tempus Judicii extremi, Mundique futura duratio.

Confirmatur utraque Censura nostra.

PRimo. Quia non tantùm ullus, hucusque repertus est, qui ausus esset comprobare solide, Prophetiam illam, verè esse Sancti Malachiæ; sed nec ullus, ex primæ Magnitudinis,

Scri-

Scriptoribus, eam, pronuntiavit, absolute esse veram. Unde tantummodò, ab aliquibus referri solet cum addito: *ut exstat, apud Arnoldum Vion.* Doctissimus item Cornelius á Lapide, plurimis, Sapientiâ & eruditione, plenis Voluminibus, in Sacram Scripturam editis, de Ecclesia, optime meritus, mentionem faciens hujus Prophetiæ, in Cap. 20. Apoc. ait: *Si hæc Prophetia vera est?*

Quin nec ipse R.P.F. Alphonsus Ciaconis (qui teste Vione, illius Prophetiæ primum Interpretem egit, à Cælestino Secundo, ad Urbanum VII inclusive) potuit suo Patruo, ejusdem quidem Nominis & Ordinis, ast longe eminentioris Scientiæ, ac Eruditionis, persvadere, ut in præclaro suo Volumine, de Vitis Summorum Pontificum, & Cardinalium, vel mentionem aliquam, dictæ Prophetiæ faceret; cùm tamen Volumen illud, Romæ ediderit, Anno 1601. sex Annis post impressum Lignum Vitæ, & decem Annis, post obitum Urbani VII, qui ultimus explicatur in illa Pseudoprophetia, ab Alphonso.

Secundo. Quia sæpe, præsertim verò ab

Urba-

Urbano VII, numerando, tam ænigmaticæ ſunt, deſcriptiones Pontificum ſequentium, ut, explicatio illarum commoda, haberi non poſsit. imò (ut prudenter eruditiſsimus Pater Papebrochius notat cum pluribus) ſi quis de ſecuturis Pontificibus, experimenti causâ, velit penes ſe comminiſci aliquid, excogitaturus ea ſit, quæ multò commodiùs valeant electis quandoq; applicari, quàm applicari poſsint ea, quæ habentur de *U*rbani VII Succeſſoribus, usq; modò: tantâ opus eſt ad id violentiâ, ut curioſiùs examinanti patebit. Unde cojicitur, Auctorem hujus totius Prophetiæ, fuiſſe aliquem, qui vixit non longè ante tempora Urbani VII.

Prævalida confirmatio dictorum & dicendorum.

Veritatem Cenſuræ noſtræ. De prædicta Prophetia nec non de aliis quatuor ſuccedentibus Prædictionibus (quæ infra Cap. 2, 3. 4. 5. continentur) confirmat ac notabile illi pondus addit Romana ex Urbe petitum Argumentum. Nam priusquam prælo Typico ſubjiceretur præſens Lucubratio, illius materiam (ita volente Admodum R.P. noſtro Generali Præpoſito Univerſæ Societatis) in breve compendium redegi, atq; eidem Romam ſubmiſi, ut nempe ejusdem oculis

culis ac judicio veluti ad unum intuitum tota res quæ hic tractatur, simul pateret, antequam lucem aspiceret. Qui porrectam sibi Epitomen Libri, Reverendis Patribus Revisoribus Romanis, Viris summæ eruditionis & limatissimi judicii cùm comisisset revidendam, ab iisdem, in scripto, hujusmodi accepit sententiam. *Compendium libri, cui titulus:* Censura Prophetiarum de Romanis Pontificibus. *Attentè ex Mandato Paternitatis Vestræ perlegimus, & nihil nobis videtur habere, quod sit contra Fidem, aut bonos mores: imò studium illud, quo Author conatur evellere popularem illam & nullo idoneo fundamento nixam credulitatem circa Prophetias, quæ circumferuntur, non parum facit ad veram Fidem tuendam. Idem Argumentum ab aliis, sed optimè pertractatum Gallicè habemus à Patre Claudio Menestrier Societatis nostræ, cum omnium eruditorum & prudentum Virorum plausu. Paternitatem Vestram humillimè veneramur, & Sanctissimis Sacrificiis nos impensè commendamus.*

Humillimi in Christo Servi.

Edvardus de Vitry.

Jacobus Ghezzius.

Ex Collegio Romano, 6ta April: 1724.

Admo-

Admodum Reverendus Pater Noſter Româ miſit mihi ſcripti illius Copiam, eamque recepi 30 Maij. Anno præſente 1724.

P, Meneſtrier & Patris Papebrochii ſenſus de illa Prædictione.

FAteor me non legiſſe unquam Patris Meneſtrier librum: ſed in libro Reſponſionum Patris Papebrochii ad exhibitionem errorum ad Articulum 2. §. 13. legi hæc. *Rerum Antiquarum indagator Solertiſſimus P. Claudius Meneſtrier Societatis IESU, natione Gallus, nuper peculiari librô dictæ Pſeudopropheticæ inanitatem exploſit, cui hactenus à nemine contradicitur.*

Neq; dicas. Utiq; ipſemet Pater Papebrochius dedicando Clementi IX Tomum 1. Martii, editum Antverpiæ, Anno 1668. Clementis IX electionem aſſerit, prænominatam ex Malachiæ Vaticiniis: in illa enim ejus Oratione dedicatoria leguntur hæc. *Paucis antequam ad Pontificatum eligerêre diebus ex ipſis literis, quibus* Dominus Roſpiglioſius *ſcribitur, anagramma ſimul, & omen quidam eruit, eis, quæ ſub Malachiæ Nomine circumferuntur, vaticiniis*

congru-

congruum, seq; credidit purpuratorum Patrum, Senatui posse personam tuam, ad vicarias Christi vices gerendas, vel ut digitô indicare ac scribere, SIGNO IPSI SIDUS OLORUM.

Ad hanc Objectionem Respondet ipsemet Pater Papebrochius, citatô superiùs librô, §. 13. *Applaudebam Auctori Anagrammatis bono cum omine inde tracti, cui ipsemet applauserat Pontifex; non tamen aut hic, aut ego propterea credidimus, ea, quæ sub nomine Malachiæ circumferuntur Vaticinia, aut Divina esse, aut saltem Sancti Episcopi Malachiæ. . . Esto autem putassem cum vulgo, & Sancti Malachiæ esse & divinitus accepta Vaticinia fuisse, an turpe est, studendo proficere, & vulgô relictô, Sapientioribus tandem adhærere?*

Ex dictis habetur primò. Minùs rectè eos facere, qui veritatem certissimam Fidei Catholicæ, in Libris etiam impressis probare nituntur illâ Pseudoprophetiâ; vel eam in Concionibus, multùm deprædicant.

Adversio bina, notatu digna, & perutilis.

C *Secundo*

2dò *Habetur.* Expedire, ut Pseudoprophetia ab Orthodoxis, præter dicta, rejiciatur ex eo etiam. Quia juxta eam, à moderno summo Pontifice, BENEDICTO XIII, ad ultimum inclusivè, nominaturq́, Petrus secundus (qui dicitur gubernaturus Ecclesiam, in tribulationibus, quibus transactis, Civitas Septicollis, nempe Urbs ROMA, diruenda: Judiciumq́ extremum futurum.) solùm restant Pontifices viginti duo, & fortè inter illos, aliqui Antipapæ; tot verò numero Pontifices, nempe viginti duo antecedentes, continuatâ serie ascendente, à Benedicto XIII (qui Pontifex Maxim9 creatus die 29 Maji, Año 1724, felicissimè Ecclesiam Sanctam nunc regit: Utinam & diutissimè!) ad Paulum IV, solùm insimul sumpti, vixerunt ferè Annis 160, quare restarent solùm circiter Anni 160 à Benedicto XIII ad extremum judicium. Periculosum autem est, ne transactis illis Annis 160, nec comparente judiciô extremô, imò aliis succedentibus de novo Pontificibus, illudant & insultent, infideles, & Hæretici, Catholicis, quòd fidem habuerint Prophetiæ, quæ ipso rerum eventu convicta est palpabiliter falsitatis & erroris.

VA-

VATICINIUM
Quod Nomine Sancti Malachiæ Episcopi circumfertur.

Prophetia.	Nomen Pôtificis.	Explicatio Prophetiæ.
Ex Castro Tiberis.	CÆLSETIN9 II.	*Oriundus Typherno, Castello Umbriæ in Italia.*
Inimicus expulsus.	LUCIUS II.	*Familiâ Caccianimicâ.*
Ex Magnitudine montis.	EUGENIUS III.	*Ex Oppido Montis Magni.*
Abbas Suburban9.	ANASTASI9 IV.	*Ex Abbate Sancti Ruffi, Familiâ Saburnâ.*
De Rure Albo.	ADRIANUS IV.	*Rurali Familiâ ex Oppido Sancti Albani.*
Ex tetro carcere.	VICTOR IV.	*Cardinalis Sancti Nicolai in Carcere Tulliano.* *Anno Christi 1159. Antipapa.*

Car-

Anno 1164. Antipapa.	Via Trans Tiberim.	CALISTUS III.	Cardinalis S. M. trans Tyberim.
Anno 1170 Antipapa.	De Pannonia Tusciæ.	PASCHALIS III.	Ingarus Cardinalis Tusculanus.
	Ex anſere cuſtode.	ALEXANDER III.	Familia Paparona.
	Lux in Oſtio.	LUCIUS III.	Cardinalis Oſtienſis.
	Sus in Cribro.	URBANUS III.	Cribellus, cujus inſignia Sus.
	Enſis Laurentii.	GREGOR: VIII.	Cujus, Inſignia enſes, Cardinalis S. Laurentii.
	De Schola exiet.	CLEMENS III.	Domo Scholari.
	De rure Bovenſi.	CÆLESTIN9 III.	Familiá Bovenſi.
	Comes ſignatus.	INNOCEENTIUS III.	Comes Signiæ.
	Canonic9 de latere.	HONORIUS III.	Canonicus Laterani.
	Avis Oſtienſis.	GREGORI9 IX.	Inſignia Aquila, Cardinal: Oſtienſis.
	Leo Sabinus.	CÆLESTIN9 IV.	Cuius Inſignia Leo, Cardinalis Sabinus.
	Comes Laurenti9	INNOCENTIUS IV.	Comes Fliſcus. Cardinalis Sancti Laurentii.

Signum Oſtienſe	ALEXANDER IV.	*Comes Signiæ, Cardinal: Oſtienſis.*
Hieruſalem Campaniæ.	URBANUS IV.	*Campanus, Patriarcha Ieroſolimitanus.*
Draco depreſſus.	CLEMENS IV.	*Cujus inſignia Aquila, Draconem unguibus premens.*
Angvinis Vir.	GREGORI9 X.	*ViceComes, inſignia Angvis.*
Concionator Gall9	INNOCENTIUS V.	*Gallus, Ordinis Prædicatorum.*
Bonus Comes.	ADRIANUS V.	*Otobonus, Comes Flieſcus.*
Piſcator Tuſcus.	JOANNES XXI.	*Petrus Cardinalis Tuſculanus.*
Roſa compoſita.	NICOLAUS III.	*Dictus compoſitus, Familiâ Urſinâ, cujus Inſignia, Roſa.*
Ex telonio liliacei Martini.	MARTINUS IV.	*Cujus Inſignia, Lilia Theſaurarius S. Martini Turonenſis*
Ex Roſa Leonina.	HONORIUS IV.	*Sabellus, cujus Inſignia, Roſa, à Leonibus*

			nibus gestata.
	Picus inter escas.	NICOLAUS IV.	*Picenus, Patriâ Esculanus.*
	Ex cremo celsus.	CÆLESTIN9 V.	*Ex Eremita Pontifex.*
	Ex undarum benedictione.	BONIFACI9 VIII.	*Benedictus Cajetanus, cujus Insignia, Undæ.*
	Concionator Patercus.	BENEDICT9 XI.	*Nicolaus, ex Ordine Prædicatorum.*
	De fossis Aquitanicis.	CLEMENS V.	*Aquitanus, cujus Insignia, Fossæ.*
	De sutore Osseo.	JOANNES XXII.	*Familiâ Osâ, sutoris Filius.*
Anno 1328 Antipapa.	Corvus Schismaticus.	NICOLAUS V.	*Corbarius, Antipapa.*
	Frigidus Abbas.	BENEDICT9 XII.	*Abbas fontis frigidi.*
	De Rosa Atrebatensi.	CLEMENS VI.	*Atrebatensis, ejus insigne, Rosæ.*
	De Montibus Pammachii.	INNOCENT: VI.	*Cardinalis, tituli Pammachii, cujus Insignia, sex montes,*

Gal-

Gallꝰ ViceComes	URBANUS V.	*Gallus, ad ViceComites Mediolanenses Nuntius &c.*	
Novus de Virgine forti.	GREGORIꝰ XI.	*Dictus Petrus, Comes Bellefortis: Cardinalis, tituli Sanctæ Mariæ novæ.*	
De Cruce Apostolicâ.	CLEMENS VII.	*De luna, Cardinal: SS. XII Apostolorum, cujus Insignia, Crux.*	*Anno 1378 Antipapa.*
Luna Cosmedina.	BENEDICTUS XIII.	*Petrus de Luna Aragonius, Diaconus Cardinalis B. M. V. in Comedin, cujus Insigne, Luna.*	*Anno 1393 Antipapa.*
Schisma Barchinonium.	CLEMENS VIII.	*Antipapa. Canonicꝰ Barchinonensis.*	*Anno 1424 Antipapa.*
De Inferno prægnanti.	URBANUS VI.	*Pregnanus, natus in loco, qui infernꝰ dicitur.*	
Cubus de mixtione	BONIFACIꝰ IX.	*Thomacellus, cujus Insignia, Cubi.*	

Di-

De meliore ſidere.	INNOCENTIUS VII.	*Dictus Coſmatus de Melioratis, cuj9 Inſignia, Sidus.*
Nauta de ponte nigro.	GREGORI9 XII.	*Venetus, Præſes Eccleſiæ Nigropontanæ*
Flagellum Solis.	ALEXANDER V.	*Archiepiſcopus Mediolani, S. Ambroſii; illius Inſignia, Sol, ut in nummis Antiquis videre eſt cum flagello.*
Cervus Sirevæ.	JOANN: XXIII.	*Cardin: S. Euſtachii, cum cervo, Bononiæ Legatus, Neapolitanus.*
Corona veli aurei.	MARTINUS V.	*Columna, cujus Inſignia, Columna cum Corona: Cardinalis Sancti Georgii ad Velum aureum.*
Lupa Cæleſtina.	EUGENIUS IV.	*Canonicus Cœleſtinus, Epiſcopus Senenſis.*

Amator Crucis.	FELIX V.	*Dux Sabaudiæ, Amadeus, cujus Insignia, Crux.*	**Anno 1439. Antipapa.**
De modicitate Lunæ.	NICOLAUS V.	*Lunensis, humili genere.*	
Bos pascens.	CALISTUS III.	*Insignia, Bos pascens.*	
De Capra, & Albergo.	PIUS II.	*Secretarius Cardinalium, Capranici & Albergati.*	
De Cervo & Leone.	PAULUS II.	*Præses Ecclesiæ Ceruensis, Cardinal: S. Marci, qui Leo dicitur.*	
Piscator Minoritæ	SIXTUS IV.	*Piscatoris Filius, Minorita.*	
Præcursor Siciliæ.	INNOCENTIUS VIII.	*Ioan: Baptista; Aulicus Regis Siciliæ.*	
Bos Albanus in portu.	ALEXANDER VI.	*Cujus Insignia, Bos, Cardinal: Albanus & Portuensis.*	
De parvo homine.	PIUS III.	*Piecolhomineus.*	
Fructus Jovis juvabit.	JULIUS II.	*Insignia, Quercus,*	

De Craticula Politiana.	LEO X.	*Arbor Iovis. Laurentii Medices Filius, Politiani Discipulus.*
Leo Florentinus.	ADRIANUS VI.	*Florentii Filius, Insignia, Leo.*
Flos pilei ægri.	CLEMENS VII.	*Medices Florentinus, cujus Insignia, boli & lilia.*
Hyacinthus Medicorum.	PAULUS III.	*Farnesius, Insigne, lilia cærulea Cardin: SS. Cosmæ & Damiani, Medicorum.*
De Corona Montana.	JULIUS III.	*Antea dictus, Ioan: Maria de monte.*
Frumentum floccidum.	MARCELL9 II.	*Cujus Insignia frumentum floccidum; brevi Pontificatu.*
De Fide Petri.	PAULUS IV.	*Antea Petrus Carafa.*
Æsculapii pharmacum.	PIUS IV.	*Ioannes Angelus Medices.*
Angelus nemorosus.	PIUS V.	*Ordinis Prædicatorum*

		rum, Michael, ex Oppido Boschi.
Medium corpus pilarum.	GREGORIꝰ XIII.	*Cujus insigne medius Draco, gestans Cardin: pilas, Pii IV. à quo creatus est Cardinalis.*
Axis in medietate signi.	SIXTUS. V.	*Qui axem in medio Leonis pro insigni habet.*
De rore Cælesti.	URBANUS VII.	*Archiepiscopus Rossanensis in Calabria, ubi manna legitur.*
Ex Antiquitate Urbis.	GREGORIꝰ XIV.	*Utroq; Parente, antiquissimæ Familiæ; ipse Antiquitatum Urbis restaurator.*
Pia civitas in bello	INNOCENTIUS IX.	*Nemo hucusq; explicavit.*
Crux Romulea.	CLEMENS VIII.	*Cujus insigne, trabs argentea; tribus segmentis interstincta, ad modum Crucis*

		cis, Pontifici Romani.
Undosus Vir.	LEO XI.	Paralysi obnoxius.
Gens perversa.	PAULUS V.	Cujus tempore gens perversa Bohemorum hæreticâ labe, infecta contra Religionẽ Catholicam, & Ecclesiæ columnã, domũ Austriacã, insurgens, totam Rempublicam Christianam turbavit.
In tribulatione pacis.	GREGORI9 XV	Sub quo Imperium maximè turbatum, nunquam hucusq; respiravit.
Lilium& Rosa.	URBANUS VIII.	Florentinus, cui Urbi, lilium, pro insigni, ipsæ Rosis amicissimæ apiculæ, vel alluditur ad Urbanum IV, cujus insignia

		gnia, Lilium, & Rosa.
Jucunditas Crucis.	INNOCENTIUS X.	Cujus Insignia, columba, Suavem pacis oliuam gestans. Electus in Festo Sanctæ Crucis.
Montium Custos.	ALEXANDER VII.	Cuj9 Insignia, Montes, quibus Sidus Cæleste, velut oculus & Custos superemi=net. An quòd elect9 in Festo SS. Angelorum Custodum.
Sidus Oloris.	CLEMENS .IX	Antea dict9, Rospilios9, inde mutata litera p. in d. fecit quidam Anagramma: Sidus Oloris; vel quia dicitur natus, esse illô Annô, quo nova Stella, seu Sidus apparuit, in Cæ=lesti

		leſti ſigno.
De flamine magno	CLEMENS X.	Quia natus, exundante tunc, nimium Tyberi.
Bellua inſatiabilis.	INNOCENT: XI.	Quia pro Stemmate, habuit Leones, & Aquilas, rapacia animalia; vel quia, inſatiabile deſiderium habuit, triumphandi de hoſtibus, Nominis Chriſtiani. Vel quia (ut quidam ingenioſè, ſed non ſolidè cenſuit) utebatur ad majora conſilia, Cardinali Cibo; ejusq; conſilia ſequi ſolitus; hinc quidam ſcripſit; Bellua Pontificis cur inſatiabilis audit? Nimirùm

		asſiduè, veſcitur illa Cibô.
Pænitẽtia glorioſa	ALEXANDER VIII	*Antea fuit ſummus Pænitentiarius, & Innocentio XI agonizanti, contulit abſolutionem Sacramentalem.*
Raſtrum in Porta.	INNOCENT: XII	
Flores circumdati.	CLEMENS XI.	
De Bona Religione.	INNOCENT: XIII	

Sequun-

Sequuntur Prophetica, ejusdem, (ut fertur,) Sancti Malachiæ, secuturorum Pontificum Symbola.

1. Miles in bello.
2. Columna excelsa.
3. Animal rurale.
4. Rosa Umbriæ.
5. Ursus velox.
6. Peregrinꝰ Apostolicus.
7. Aquila rapax.
8. Canis & Coluber.
9. Vir Religiosus.
10. De balneis Etruriæ.
11. Crux de Cruce.
12. Lumen in Cælo.
13. Ignis ardens.
4. Religio depopulata.
15. Fides intrepida.
16. Pastor Angelicꝰ.
17. Pastor & nauta.
18. Flos florum.
19. De medietate Lunæ.
20. De labore Solis.
21. Gloria Olivæ.

In persecutione extrema Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Sedebit Petrus II. Romanꝰ, qui pascet Oves in multis tribulationibus, quibus transactis Civitas Septicollis diruetur, & Judex tremendꝰ judicabit populũ suum.

Hucusq; Prophetia (ut dicitur) S. Malachiæ, de Romanis Pontificibus.

QUÆ.

QUÆSTIO II.

Quam Fidem meretur Prophetia, quæ circumfertur nomine Jôáchimi, Abbatis, de futuris Romanis Pontificibus?

IOachimus Abbas Florensis Monasterii, Ordinis S. Benedicti, ex Calabria oriundus: floruit circa Annum 1190, Obiit Annô 1202. Is in Calabria, in sui quondam Ordinis Monasteriis, nunc Cisterciensium, antea Florensium, colitur ut Sanctus, aut Beatus, atq; miraculîs, quæ prolixè leguntur, clarus.

Quamvis verò ab Innocentio III Cap. *Damnamus de Summa Trinitate & Fide Catholica.* Salvo honore Personæ, improbentur, quæ scripserat in libro à se edito de Unitate SS. Tri-

nitatis contra Petrum Lombardum, Sententiarum Magistrum, Episcopum pro tunc Parisiensem (quanquam nonnulli eruditi, inter quos & P. Raynaudus, *in Hoplotheca sua contra ictum calumniæ*. Tomo 12mo Operum, folio 150, censet illum librũ ab ejus Adversariis fuisse antè depravatum) tamen concedendum est, quòd Vir ætate sua eruditissimus, & admodum pius, nec non Spiritu Prophetico donatus, in plerisq; fuerit; ut testatur S. Antoninus 1. p. Chronici lib: 14. Cap. 1. §. 12. Sixtus Senensis lib: 4. suæ Bibliothecæ. Gvilielmus Parisiensis in libro de Virtutibus, & alii. Nec id ipsum diffitetur doctissimus Lezana, ad Annum 1201 num. 2. sed approbat.

Quæ sub nomine ejq circũferturProphetia de Põtificibus, esse comẽtitia probatur.

Sub nomine hujus Joàchimi, ex variis manuscriptis, sæpiùs per Imagines Symbolicas, subjectaq; lemmata, impressa est Prophetia, de futuris quindecem Romanis Pontificibus, à Nicolao III, qui electus fuit Anno, 1288, usq; ad Urbanum VI, Anno 1328, ordinatum. Prophetia hæc, quamnam Fidem, mereatur? *Aliorum sit*

ſit judicium. (inquit Bellarminus in libro de ſcript: Eccles.) & addit ibidem. *Illud mirum eſt, quòd cùm ea Vaticinia, ad ſolos quindecem Pontifices pertineant, tamen curioſitas hominum, ad noſtra usq; tempora, extendere illa conatur.*

Inſignis Eruditionis, Pater Papebrochius, in ſuis Adverſionibus ad Catalogum Pontificum, dicit: *Puto ſub Sancti illius Abbatis nomine, plurima circumferri fictitia, in quibus nihil dubitem, etiam numerare illas quindecem Præſagitiones, à Nicolao III, ad Urbanum VI. Quæ deinde ſequuntur, quindecem alia ejusmodi Schemata, usq; ad Innocentium VIII, ſimilis rurſum farinæ ſunt; eiq;, ſub quo fuerunt adinventa, non parum blandiuntur.*

Hæc Pater Papebrochius; cujus Cenſura, à vero non videtur deviare. Tum quia in omnibus, Joàchimi ſcriptis impreſsis, quæ habentur, nullum eſt ejusmodi ſignum Prophetiæ. Scripſit autemConcordiam Teſtamenti Veteris, & Novi, item in Isaiam, Jeremiam, & Sancti Joannis Apocalypſim, quam ut illuſtraret ſuis

Commentariis, trium Summorum Pontificum, scilicet Lucii III, Urbani III, & Clementis III, Auctoritate, & exhortationibus, fuit compulsus. Tum quia Urbanus V. qui est electus Añô 1362, primus adinvenit & usus esse legitur Tiarâ, quæ triplici Coronâ, est adornata. In illa autem Prophetia, Pontifices omnes in suis Symbolicis Imaginibus, Fictitius Jöächimus, triplici coronamentô ornavit, etiam duodecem illos, qui Urbanum V. præcesserunt. Exemplaria quædam, non improbabiliter referunt, fuisse Auctorem illius Pseudoprophetiæ, quendam Anselmum Episcopum Marsicanum, qui adhæserat Clementi Antipapæ, adversùs Urbanum VI, electo.

QUÆSTIO III.

Quid censendum de Prophetia, asserente, nullum ex Successoribus Sancti Petri in Cathedra Romana, æquaturum, multòminùs excessurum

surum, in hoc Pontificio munere, Annos, quibus Princeps Apostolorum, egit Romæ Pontificem?

C*Erseo Prophetiam illam, non debere censeri, esse infallibilis Veritatis.* Ita Rodericus Zamorensis, (fuit is Referendarius Pauli II) libro 2do. Speculi vitæ humanæ; Thomas Ravennas lib. de vita hominis. Henricus Spondanus, Episcopus Appamiarum. P. Theophilus Raynaudus, Tom. 13. in lib. cui titulus: *Vitæ ac Mortis humanæ terminalia*, & alii plures, graves Scriptores, contra nonnullos, quibus favere videntur, Sanctus Petrus Damiani, Epist: 17. ad Alexandrum II; Sanctus Bernardus Epist: 237. ad Eugenium III. Sanctus etiam Antoninus Archiepiscopus Florentinus, videtur stare pro illa manutenendâ Prophetiâ. Nam in suo Chronico, 3tia parte, lib. 22. Cap. 7. mihi foliô 486 ait. *Benedictus Apostaticus (Petrus de Luna) relictus*

Prophetiæ dictæ, favent Auctores graves.

lictus ab omnibus, in Insulam Paniscolæ, cum paucis se contulit, ubi manens in sua pertinacia, transivit Annos Petri; nec mirum, quia non in Sede Petri. Imò noster P. Cornelius à Lapide in suo Commentario in Cap. 19. ver. 9. Ezechielis Prophetæ, Prophetiam dictam omnino veram esse asserit.

Sed Censuræ nostræ Ratio est.

Tamẽ non est infallibilis. Ut probatur multifariè.

QUia de Veritate dictæ Prophetiæ non constat ex ullo gravi fundamento. Ex quo enim? patetq; id ipsum sufficienter ex Notato 1mo, 2do, & 3tio, infrà positis. Licèt autem hactenus, nullus Romanorum Pontificum, 25 Annos Pontificiæ Sedis explevit, ut in Romana Sede explêsse perhibetur S. Petrus; quis tamẽ certò scit, & unde? neminẽ deinceps expleturũ? quã multa etiã nostris tẽporibus, tũ alibi, tũ in Dominio Moschovitico, Regno Sveciæ &c. evenêre, quæ nunquam antea contigerant, imò forsan nec sperabantur unquam eventura?

Ac-

Ad Confirmationem Censuræ nostræ Accedit Primò.

QUia dictæ Prophetiæ, adversari videtur usus & sensus Ecclesiæ. Ex usu enim perantiquo, postea etiam, per Concilii Vasionensis, peculiare præceptum, stabilitô, oratur in Canone Missæ pro Pontifice, ut DEUS, eum custodiat, & protegat. Oratur etiam in Litaniis, ut Dominus conservet eum, & vivificet eum &c. Ejusmodi verò petitio longævitatis Pontificis, esset illicita, si constaret de veracitate illius Prophetiæ; præsertim cum Papa accederet ad Annum 24, in illa Sede, transactum.

Ad eādē Cōfirmationē Accedit 2dò.

QUia Doctissimi Patris Papebrochii, est Sententia probabilis, quam ut probabilem tradit & probat in suo Conatu Chronico Historico, ad Catalogum Pontificum Romanorum, Dissertatione 2da, in Actis Sanctorum, Tom: 4to Maji, illamq; Sententiā approbant etiam ut probabilē nonnulli graves Historici, & Theologi. Divum

vum Petrum in Romana Cathedra, tantummodò sedisse, Annos 15. Certum autem est, in toto numero, quem hactenus numeramus, 246. Romanorum Antistitum, inclusivè ad præsentem Benedictum XIII; post Sanctum Petrum, novemdecem numerari, qui excesserunt etiam in Pontificatu Romano Annos 15, ex ipsisque, sex superârunt & Annum vigesimum; scilicet Sanctus Sylvester, Leo 1mus. Adrianus 1mus. Alexander 3tius. Urbanus 8vus. Clemens 11mus. Et quidem ex his, Adrianus 1mus, omnium diutissimè præfuit Ecclesiæ, nam Annis viginti tribus, Mensibus decem, diebus septemdecem.

Quis Pôtificũ Romanorum accessit proximè ad Annos S. Petri in Pontificatu?

Sed in contra Objiciet fortè quispiam.

PRædictæ, Prophetiæ falsitas, potiùs demonstranda erat, ex eo, quia S. Sylvester 1mus, Pontificem Romanum egit Annis 28, ut notavit in suo Chronico, Sanctus Nicephorus Constantinopolitanus; & Sanctus Leo 1mus, Annis 25, ut scribit Rodericus Zamorensis; Petrus verò de Luna, qui se aliàs Benedictum XIII nomi-

nominabat ab assumpto titulo Papali, vixit Annis 30. Nam Avenione electus fuit, à quibusdam Schismaticis Cardinalibus in Papam Anno 1394. Obiit verò, Annò 1424. Nonagenarius.

Sed Respondeo. Non rectè Sanctus Nicephorus tribuit Sancto Sylvestro Annos 28, solùm enim in Pontificio Throno, sedit à prima Februarii, Anni 314 ad Annum 335, Annis scilicet 21. Mensibus 11. uno minus die. Errat item Zamorrensis, tantummodò enim, Sanctus Leo, sedit Annos 20, Menses 10, dies 28. Vide Baronium. Bellarminum & alios.

Quot Annis Pontificē Romanū egit S. Sylvester, & S. Leo?

Benedictus ille non fuit verus legitimus Papa, sed Antipapa; ideoq; & S. Vincentius Ferrerius, qui prius ejus erat Confessarius, & Magister Sacri Palatii, post Pisanum Concilium eum meritò deseruit, dixitq; , quòd ille de Luna, sit Vir pravus & fallax, ac fictus Papa; idemq; etiam fecit & dixit S. Coleta, quæ ei antea etiam adhæserat. Et quamvis illius ingressus, (ut aliqui submurmurant,) fuisset aliquomodo legitimus, tamen in progressu (ut bene advertit

Petrus de Luna non fuit verus Papa: Obiit Nonagenarius

Raynaudus, cum aliis) priusquam ad Annum 25, Pontificii muneris pertigisset, verus Papa esse desiit: Concilium enim Constantiense, adactum necessitate tollendi Schismatis, in quo, simul tres, pro Pontificibus se gerebant, Gregorii 12, & Joannis 23tii ultroneam renuntiationem admisit & Benedictum XIII deposuit, cum nullius eorum, Jus esset liquidum, ita; ut non superesset tergiversationi locus. Itaq; creavit Martinum V, Annô 1417. Novembris 11mâ, à quo tempore Benedicti XIII Pontificatus (qualiscunq; prius fuisset) evanuit. Numeratis autem Annis, Sedis ejus, ab ingressu, ad depositionem, solùm erunt Anni, viginti tres.

Ad meliorem dictorum intelligentiam, & Eruditionis gratiâ.

NOTA Primò.

Neo-electo Papæ non dicitur: non videbis Annos Petri.

VEritati dissonat, quòd noviter electo Romano Pontifici, in die Coronationis suæ, dicatur: *Sanctissime non videbis Annos Petri.* Nullus

jus enim liber Ritualis, nec ipsa hodierna praxis docet, id observatum esse, vel observari, ut etiam mihi nuper scriptum est Româ, à Viro gravissimo, meo olim in Theologia, Cracoviæ, nunquam satis laudato Professore, R. P. Valentino Queck. Dixi. *Viro gravissimo.* Ejus enim non solum mentem, in dissolvendis altiorum Scientiarum nodis, expeditam; verùm etiam suavitatem Regiminis in plurium Collegiorum, Provinciæq; totius Polonæ Præside; altum judicium in Assistente Germaniæ, & Polonia & Roma probavit. Non diffiteor tamē olim quandoq; à populo multùm credulo, acclamatum fuisse Neoelecto Papæ. *Beatissime Pater, Annos Petri non videbis.*

Hoc tamen certum, quòd die Coronationis Pontificis, accendatur Cannabis, adiectîs verbis; *Sic transit gloria Mundi.* Certum item, quòd plurimi Pontifices, exiguum vitæ spatium, in eo Honorum culmine nacti sint. Sic ex antiquis, (ut adnotavit Sapientissimus Raynaudus, & alii) Anterus, Lucius, Sixtus, Eusebius, Anastasius, Bonifacius, Gelasius, vix Annum integrum, Sancti

Catalogus eorum, qui brevi tempore vixerūt in Romano Pontificatu.

Sancti Petri Cathedram tenuerunt.

Agapitus primus, & Lucius secundus, Mensibus undecem.

Leo II. Benedictus II, Alexander V, nonnisi per Menses 10.

Clemens II, & Bonifacius I. tantùm per Menses 9.

Mensibus octo, vixêre in Pontificatu, Marcus, eo nomine unicus, & Joannes XIV, ac Joannes XX.

Tantùm per Septimestre, Stephanus X.

Stephanus veró IV, & Leo VI, tantùm per semestre.

Solummodò quinque Mensibus rexerunt Ecclesiam; Cœlestinus II, Innocentius V, & Cælestinus V.

Nonnisi quatuor Mensibus, Pontificatum tenuêre, Joannes XVI, & XVII.

Innocentius IX, Menses duntaxat duos, egit Pontificem.

Unô Mense durarunt, in Sede Petri, Valentinus, eô nomine unicus, & *Leo* V, Adrianus V, & Gregorius VIII.

Ne

Ne Mensem quidem continuârunt Pontificatum aliqui, nam Leo XI, ad solium Pontificium, vix ascendit, cùm descendit ad sepulchrum, post dies 27.

Pius III, die 26 initi muneris, Objit.

Damasus II, die 23.

Marcellus II, die 21.

Sisinnius; eô nomine unicus, die 20.

Cælestinus IV, die 17.

Bonifacius VI, die 15.

Urbanus VII, die 7.

Stephanus II, die 4.

Vicedominus, illa ipsa die, qua electus est, vivere in terris desiit.

NOTA Secundò.

ERroneè dicitur, hoc nomen Papa, esse derivatum à pappo carduorum flore, non diu durante, & sic denotari brevitatē vitæ, Sūmorum Pontificum, nec unquam eos perventuros, ad Annos Petri, in ea Sede. Erroneè inquam, id asseritur. *Ratio est.* Quia olim, Papæ nomen, conveniebat omnibus Clericis, ideoq; minimi

Nomen Papæ quibusnam Personis antea conveniebat; & nunc cui?

nimi Clerici vocabantur, Pisinni Papæ, id est, Pusiones & minimi; postea vox illa, ad Solos, & omnes Episcopos restricta fuit; ut innumera exempla, occurrunt. Certè S. Hieronymus, in omnibus Epistolis, ad Sanctum Augustinum, eum appellat Papam; & Clerus Romanus, ad Sanctum Cyprianum scribens. Demum usu receptum est, & Decretô Gregorii VII, Annô 1073, in Concilio Romano, contra Schismaticos, sancitum est, ut solus Pontifex Romanus, Papa diceretur. Idq; ipsum servant Græci, ut nomine Papæ, Romanum Pontificem intelligant; vide Baronium in Notis ejus, adRomanum Martyrologium, 10mâ Januarii; & Raynaudum. Tom 10. cui titulus: CORONA AUREA, ROMANI PONTIFICIS. Porrò vox hæc PAPA, juxta aliquos, est nomen complexum, ex duplici Pa, quod monosyllabum in Saliari Carmine usurpatum pro Patre, testatur Festus; quâ ratione idem sonaret, quod Pater Patrum. Remigius Antisiodorensis, cum nonnullis, ab adjectione admirantis, Papæ, ductum volunt, quasi denominaretur, Admirabilis. Alii nomen Papæ, volunt

Quidnam significat hæc dictio Papa?

lunt idem significare, quod Ductorem, aut Custodem; prisco Idiomate apud Jtalos, unde & Sanctus Petrus Damiani Opusc: 23. cap. 4. agens de Custodiâ Angelorum, nobis à DEO attributâ, nomen Papas, usurpat pro Custode; Romanus autem Pontifex, est Custos totius Ovilis, Sanctæ Ecclesiæ, ut eum vocat, idem Sanctus Serm: 30 Est Custos Fidei; ut dicit Sanctus Chrysologus. Serm: 107. & Custos Sponsæ Domini; teste Sancto Bernardo, Epist. 49. & 161. Victorius, Baronius, Raynaudus, & plures alii, rectissimè asserunt: Pontficem Romanum, dici Papam, quia est omniū Pater: *Papa* enim Græcè, Patrem significat; imò, & parvuli balbutientes, veluti naturali voce, non aliter Patrem appellant, quàm Papam.

Cur Episcop9 Romanus vocatur Papa?

NOTA Tertiò.

Si quæratur, Cur Pontifices Romani, ante Annum Sedis 25tum, excedunt è vita; imò cur ordinariè,

brevis illorum Vitæ terminus, in illo fastigio?

Ad hoc Quæsitum

RESpondent *Primò Nonnulli*. Id provenire ex eo, quod sit absolutum antecedens DEI Decretum de morte omnium Successorum, Sancti Petri, ante Annum Sedis 25tum: afferriq; solent Decreti hujus aliquot Congruentiæ.

Congruentiæ variæ afferũtur ex Authoribus pro brevitate vitæ, Romani Pontificis.

Prima desumitur ex Sancto Petro Damiani, ille enim rogatus, ab Alexandro II Papa (qui præfuit Ecclesiæ, ab Anno 1061, ad Annum 1073.) Cur nemo Pontificum, attigerit Annos Sancti Petri? imò pleriq; vix quatuor, aut quinquè Annis, Ecclesiæ Præsideant? Respondet Epist: 17. ad eundem, sic: *Videtur nobis, quia idcirco, hoc judicii Cælestis ordo disposuit, ut humano Generi, metum mortis incutiat: quatenus dum præcipuus hominum tam angusti temporis compendiô, moritur, tremefactus quisq;, ad præstolandam sui obitus custodiam, provocetur; & arbor humani Generis, dum cacumen, & verti-*

cem

cem ſuum, tam facilè corruiſſe conſiderat, flatu concuſſa formidinis, in ſuis undiq; ramuſculis, contremicat.

Secùnda Congruentia. Ut ita doceatur Neoelectus Summus Pontifex, quàm ſit caducus Summus ille gradus honoris, moveaturq; ad temporalis Vitæ gloriam deſpiciendam, ut loquitur ibi Sanctus Damiani: quod idem innuere videtur Divus Bernardus in ſua Epiſt: 237. ad Eugenium III, Papam: olim ſuum Alumnum.

Tertia Cougruentia. Afferri ſolet & hæc, ut Pontifices, qui Chriſti ſunt Vicarii in terris, eumq; imitari tenentur in vivendi modo, imitentur etiam in brevitate Vitæ. Non abſimiles ferè congruentias affert locô ſuprà citatô, noſter Cornelius à Lapide, dum dicit, id fieri ſive ex eo, ut ſicut S. Petrus dignitate & merits, ita & annis reliquos omnes ſequaces & poſteros ſuos ſuperet. Sive ut Pontifices in tanto faſtigio & culmine dignitatis conſtituti, humilitatis & modeſtiæ admoneantur, doceanturq; illud par-

vi pendere, & Cælestes æternosque honores ambire. Sive ut hoc eis stimulus sit ad acre, & continuum heroicorum operum, & Virtutum studium, dum cogitabunt brevem sibi fore Pontificatum æquè ac vitam; ideoque assiduè sibi dicant. Quod facere distinas, fac citò; brevis enim erit tibi hæc potestas, brevis facultas magnorum facinorum; paucos ergo annos magnis Virtutibus imple; paucis Annis, tot tantaque facito, quæ nomen tuum & in terra, & in Cælis illustrent, ac æternitati transcribant. Pater verò Lorinus in 2. Petri, cap. 1. v. 14. asserit id fieri, ut minùs appetant homines Papatûs Culmen, quòd ferè certi sunt non diu duraturum.

Refelluntur allatæ cõgruentiæ.

Responsioni datæ non subscribo ob rationes superiùs allatas. Congruentiæ allatæ, ut doctissimè P. Raynaudus & alii annotârunt, non sunt revera tanti, ut DEUS illis induci potuisse dicatur, ad formandum illud Decretum antecedens; metum enim mortis, certò à nobis subeundæ, sufficienter incutiunt, tam densa ferè quotidiana funera, quæ ipsimet visu, & proximô auditu perci-

percipimus: & cùm ordinariè Pontifices, jam ſint ætate provecti, eorum mors, non adeò, apprehenditur. Caducitatem tam eminentis Honoris, ſatis ſuperq; demonſtrant, & ab elatione potenter arcent, diſcrimina, & ærumnæ, tanto honori annexa. Item præter alia innumera, à Summo Pontifice requiſita, & ſub peccato gravi, debita inſtantia quotidiana & ſolicitudo omnium Eccleſiarum, quibus non poteſt deeſſe, abſq; manifeſto Salutis æternæ diſcrimine. Si Divô Auguſtinô teſte, Serm. 39. ex 40. novis. *Epiſcopus, nomen periculi.* quantò magis nomen periculi eſt, Romanus Pontifex, qui eſt Epiſcopus Epiſcoporum, ut Eum plerique Veteres Patres nominârunt.

Tertia Congruentia Multùm probat, deberent enim eligi, ante Annum 30mũ, morique cruci affixi ante Annum 34tum completum. Sufficiet ergo Vicariis Chriſti, ut juxta ejus præceptum, paſcant & regant Oves ſibi concreditas, pro earumque bono, parati ſint, etiam Animas ſuas ponere.

Accedit. Quia 3tia allata Congruentia, videtur probare, quemlibet Episcopum Antiochenum obligari ad non tenendam illam Sedem Episcopalem, ultra Annos 6, vel ad summum 9. Siquidem S. Petrus fuit Antiochiæ Episcopus Annis septem, vel ad summum Annis decem.

Respondent 2dò Alii. Id ex eo fieri, quia jam admodum annosi eliguntur in Pontifices.

Sed contra est. Quia in Pontificatum Romanum assumpti, aut veriùs, violentiâ præsertim Tusculanorum Comitum intrusi sunt quidam admodum Juvenes; ut Benedictus XI, puer ferè Annorum 10. vel 12, Joannes XII, Annorum 16, Joannes XI, Annorum 20. Nonnulli item in ætate florida & vivida erant, dum eligerentur; ut Innocentius III. Annorum 37, Gregorius XI, Annorum 35. Bonifacius IX, Annorum 30. Totidem Annorum & Leo X. Et tamen nullus eorum attigit Annum 25tum in Sede Romana.

Respondetur igitur 3tiò Solidiùs cum Zamorensi, Ravennate, Raynaudo, & aliis nonnullis Viris Eruditissimis, Romanorum Pontificum

cum, ut plurimum, vitam minus diuturnam provenisse, ex naturalibus causis his. Quia plerique assumpti sunt ad Pontificatum, jam seniô confecti; alii, corporis constitutione, fuêre imbecillâ; multi à Tyrannis, odiô Fidei Christianæ, cæsi, (numerantur enim triginta tres Papæ, Martyres, ad Sylvestrum I; tot scilicet, quot nimirum Annis in terris Christus vixit) Alios solicitudo nimis intensa, promovendi bonum Ecclesiæ Universalis, confecit. Item curæ & mærores, ex plurimis mærendi argumentis, ex tot adversis, quæ multoties, Orthodoxæ Religioni acciderunt. Nihil enim est, (teste Cassiodoro) quòd magis hominis dies, abbreviet, quàm tristitia mentis, langvor animi, & nimia solicitudo multorum. Sic Benedictus I, & Urbanus III, præ cordolio malorum Ecclesiæ, extincti: Nicolaus V, præ mærore, ex capta, Annô 1452. à Turcis, Constantinopolî, morbum contraxit, & vivere desiit. Alios ambitus, parricidalis nefariorum, peremit. Sic Victor III, præbitô sibi inter Sacrificandum, in Calice, venenô, (ut scribit S. Antoninus) obiit. Alexander VI, Vinô,

Rationes afferuntur sat validæ pro brevitate vitæ Sum̄orum Pontificum.

ex

ex Lagena, toxicô imbuta, haustô, periit, errore Ministri, qui Auctore Cæsare, Alexandri Filiô, alteri, quàm Pontifici, lethale poculum, præbere, destinârat. Aliquos Summos Pontifices, notat Rodericus Zamorensis (quòd essent eâ Sede indigni) brevitate vitæ esse mulctatos; ex bonis verò nonnullos, ut miseriis subducerentur, quantocius excessisse.

Cùm ergo Rationes naturales adductæ, & aliæ non absimiles, videantur sufficientes, cur non diuturna sit vita Sum̃orum Pontificum; ideo non videtur recurrendum ad Decretum Divinum extraordinarium Antecedens; quô vitæ terminum, ad 25que Annos, ab inita Sede, Romani Antistites, attingere prohibeantur. Universaliter enim, ad Decreta Divina extraordinaria, & universalia, (quale certè istud esset) non est recurrendum, sine urgentissima necessitate.

NOTA Quartò.

Certissimum est, fuisse S. Petrũ Romæ: & quidẽ Episc. Romanum.

INdubitatum est apud Orthodoxos; quòd S. Petrus fuerit Romæ, & quidem Episcopus Romanus; id enim testantur (ut videre est

apud

apud Eminentissimos Baronium, in Annal. Tom: 1. Bellarminum, Tom. 1. lib: 2. de Rom. Pont:) omnes veteres, tam Latini, & Græci Patres, quam Scriptores gravissimi; Item Concilia Generalia, inter quæ Sardicense, Annô 347. celebratum, trecentorum Episcoporum; Ephesinum Annô Christi, 431. Ducentorum Episcoporum. Chalcedonense Annô 451, cui interfuerunt Episcopi, sexcenti triginta. Et certè non alia est Babylon illa, è qua S. Petrus scribit 1. Petr i cap. 5. v. 13. *Salutat vos Ecclesia, quæ est Babylone coelecta* Nisi Roma, nec non S. Paulus in Epist: sua ad Philippenses cap. 4. v. 22. testatur in domo Cæsaris fuisse Ecclesiam amplam, dum dicit: *Salutant vos omnes Sancti, maximè autem qui de Cæsaris domo sunt*) Certè non nisi ex institutione Sancti Petri.

Insuper prædicta Veritas Orbi Christiano adeò conspicua fuit, ut S. Optatus natione Afer, Milevi, unde & Milevitanus in Numidia Africæ Regione Præsul, quem Sanctus Augustinus laudat, ut insignem Ecclesiæ Præsulem, & Ortho-

thodoxæ Fidei Defensorem egregium, adeò inquam conspicua hæc fuit Veritas, ut prædictus Sanctus Optatus Parmenianum Donatistam compellaverit, lib; 2. his verbis; *Negare non potes, scire in Urbe Roma, à Petro, primò Cathedram Episcopalem collocatam esse, in qua sederat omnium Apostolorum Caput.* Et Eusebius Episcopus Cæsariensis, qui tempore Constantini Magni floruit, lib. 2. Hist. cap. 25. ait: *Horum testimonium quærere,* (scilicet Petrum & Paulum, esse Romæ mortuum) *extrinsecus, superfluum puto, cùm rem gestam, insignia, usq; in hodiernum, & splendidissima eorum monumenta, testentur.* Nullusq; tanto consensui Orbis Christiani totius, unquam contradixit, ferè, usq; ad Annum Christi 1400, modò primùm circa Annum 1380. quidam Gulielmus, non multùm à virulentissimo, Hæresiarcha, Joanne Viclepho, suo Discipulo, Præceptor dissimilis, ausus est primus, impudenter, æquè ac impiè, palam effutire, (ut Thomas Netreus, Ordinis Carmelitarum, Prior Provincialis, à Patria, cognomentô, Valdensis, Viclephista-

phiſtarum debellator refert lib. 2. Doctr. Fidei. Art. 1. cap. 7.) Divum Petrum, necꝫ Epiſcopum fuiſſe Romæ, nec unquam Romam vidiſſe. Gulielmum, intrepidè & ſinè rubore, ſecuta eſt, imò in mentiendo ſupergreſſa, quædam Lutheri ſoboles, nempe Udalricus Velenus, & Jllyricus, hi enim libris, hac de re editis, aſſerunt inſuper, eſſe omnino certum ac evidens, Petrum Romæ, nunquam fuiſſe, multominùs Epiſcopum Romanum; afferuntꝗ ad id comprobandum rationes varias, quas appellant certas Demonſtrationes. Inter illas; ferè præcipuæ ſunt hæ.

Primò. Scriptores non conveniunt inter ſe, quonam tempore Petrus, Romam venit. Ergo omnino certum & evidens eſt Petrum nunquam fuiſſe Romæ. *Obiectiones Hæreticorum in contra.*

Secundò. Paulus ſcribens ad Romanos, non meminit Petri. Ergo evidens eſt. &c.

Tertiò. Quòd ſi Petrus, non ſolùm Antiochiæ, ſed etiam poſtea fuit Romæ Epiſcopus, tunc ſicut ab Antiquo celebrata eſt, die Feſto, Cathedra Antiochena Petri; potiori jure, ab Antiquo

H

tiquò celebrata fuisset Cathedra Romana Petri; cùm tamen certum sit, modò primùm nuper (inquit Jllyricus Lutheranus) à Paulo III, Cathedræ Romanæ Solemnē diē institutum esse. Ergo evidens &c.

Siccine nomine Demonstrationum certarum, & evidentium, conveniebat intitulari has rationes, quas etiam, vel multùm probabiles nominasse, nefas est? ut patet ex Retorsionibus quæ sequuntur.

Quæ clarè dissolvuntur.

Ad Primum. Nunquid enim non certissimum est, Christum Dominum esse pro nobis in Cruce mortuum; licèt discordent Scriptores de tempore, quonam mortuus? Tertullianus enim, Clemens, Lactantius, Hieronymus, Augustinus, referunt Christum mortuum esse Annô ætatis suæ 30mo. S. Jgnatius Martyr, & Eusebius Beda & alii scribunt, ætatis suæ ferè 33tio Cruci affixum. S. Epiphanius Hæresi 51 tribuit Christo Domino Annos 32. & 74 dies: Sanctus Jrenæus lib. 2. contra Hæreses cap. 39 & 40. Apostolorum propemodum æqualis, inter qua-

Quô Annô ætatis suæ, Christus Dominus mortuus?

dra-

dragesimum & quinquagesimum Annum aetatis suae, Salvatorem fuisse asserit, idque se ex Evangelio, & à S. Joannis Evangelistae Discipulis, quod à Magistro acceperat, didicisse ostendit. Negandum item esset, Pretiosissimam DEI Parentem, fuisse in rerum natura, quia disconveniunt scriptores, quo Annò obierit? Nicephorus enim ex Evodio, Eam obiisse tradit, Annô aetatis suae 59, alii, 57, vel 58. Aliquibus videtur verosimilius, uno dumtaxat Annô superfuisse Ascensioni filii sui in Caelũ: ut refert P. Papebrochius in Respons: ad Art. 15, mihi fol. 163. adeoque ex hac vita migrasse Annô aetatis ferè 50. Alii Eam, non fuisse mortuam, temerè tradiderunt. Eusebius, cum quibusdam scribit, Eam esse mortuam, Annô 62. alii 63. Communior sententia asserit, Annô 72. Vide Annalium Ecclesiasticorum Parentem Sapientissimum Baronium, ad Ann: 48, à num: 5to. De Mundi Annis, qui hactenus fluxerunt, tot propè sunt diversae sententiae, quot Chronologi; ideone demonstratur, Mundum non habuisse sui exordium; vel non hucusque durare? Quantae disso-

Quô itē Annô Deipara?

nantiæ Hiſtoricorum in tempore deſignando, quô & quantô, regnavit Alexander Macedo in Perſia, Romulus in Italia, Lechus in Polonia. &c.

Ad Secundum. Nunquid incertum eſt, Sanctum Joannem fuiſſe Epheſi Epiſcopum & S. Jacobum (qui & Frater Domini, & minor eſt Apoſtolus) Jeroſolymis? & tamen Divus Paulus eorum non meminit, in Epiſtolis ſuis datis ad Epheſios, & ad Hebræos. Dein, Sanctus Apoſtolus, Epiſtolam tunc ad Romanos ſcripſit, quô tempore S. Petrus exierat Româ, & verſabatur in Syria, relinquens pro ſe, Romæ, Linum & Cletum; qui illo abſente Epiſcopalia munera obirent.

Ad Tertium. Errat graviter Jllyricus, Paulus enim 3tius, nil prorſus ſtatuit de Solennitate Cathedræ Romanæ. Paulus verò 4tus non inſtituit Sacram Solennitatem Cathedræ Romanæ Petri, ſed quæ jam ab antiquo inſtituta fuerat, & celebrata, tum Romæ, quàm in Gallia, Hiſpania, &c. ut Conſtat ex Antiquis Martyrologiis Romanis, & ex S. Beda, Uſuar-

do,

do, Adone, Galesinio; jam verò in aliquibus Ecclesiis, exsoleverat, eam restituit, datis, eâ de re, literis Apostolicis, Anno 1557, 6ta Januarii. Est illarum exordium: *Ineffabilis Divinæ Providentiæ altitudo.* &c. Asservatur hactenus (ut testatur Card: Baronius, in Notis suis ad Martyrologium, 18 Januarii, in Basilica Vaticana, ipsa hæc Cathedra lignea, in qua olim Romæ Petrus sedisse, perhibetur. Nec quis hoc miretur. Si enim Sedes, ipsa lignea Cathedra, Jacobi Apostoli, Jerosolymitani Episcopi, post tot, tantaq; Judaici populi, naufragia, post illud pavendum, Ierosolymorum excidium, servata nihilominus est integra, usq; ad tempora Constantini Magni, Imperatoris. (ut scribit Eusebius, Hist: lib. 7. cap. 14) quam & Successores Episcopi, decenti honore custoditam, sunt venerati; quid tam mirum, Apostolorum Verticis Cathedram, pari saltem fuisse diligentiâ, conservatam?

Quãto tẽpore S. Petrus fuit Episcop. Antiochiæ & Romæ?

Porrò, licèt apud Orthodoxos, indubitatum sit, ab Apostolorum Principe, tam Antiochenam, Episcopalem Sedem, quàm Romanam esse

ſe fundatam; nihilominùs non omnino eſt certum, quotnam ille Annîs utramq; tenuerit? In Catalogo Romanorum Pontificum tempore Juſtiniani Imperatoris, circa Annum 530 conſcripto, leguntur hæc de S. Petro. *Primùm ſedit Cathedram Epiſcopatûs in Antiochia Annis decem, Hic Petrus ingreſſus eſt in Urbem Romã, Nerone Cæſare, ubi Sedit Cathedram Epiſcopatûs Annis 25, Menſibûs duobûs, diebûs tribus,* In alio verò Catalogo, tempore Liberii Papæ circa Annum 350mũ abſoluto, habetur S. Petrum egiſſe Pontificem Romanum Annîs 25, Menſe uno, diebus 9. Similia ferè habet Anaſtaſius Bibliothecarius & Abbas Romanus, qui floruit Annô Chriſti 858; niſi quòd Anaſtaſius pro 10 Annîs Antiochenæ Sedis, habeat conſtanter in omnibus Exemplaribus, Annos 7. Non multùm abſimilia habent Euſebius, S. Hieronymus, & plurimi alii. Cardinalis verò Baronius cum nonnullis dicit, Sanctum Petrum, Annis 7, Antiochenam Cathedram tenuiſſe; Romanam autem, Annis 24, Menſibus 5. diebus

11. Quid Pater Papebrochius hac in parte cum quibusdam sentiat, dixi suprà pag. 39. & 40.

QUÆSTIO IV.

Prædictio illa. P. nō erit PAPA. id est, Nullus cui Petri nomē obtingit in Baptismo, futurus Sancti Petri Successor, in Apostolica Sede. Est ne veritati consona?

RESPONDEO.

CErtum est, quòd legitimi veriq́ꝫ Pontifices Romani, fuerint, Joannes XIV. Sergius IV. Innocentius V. Joannes XX. vel secundùm aliorum Catalogum, XXI. Sanctus Cælestinus V. Clemens VI. Gregorius XI. Bonifacius XI. & tamen quilibet eorum, ante Pontificatum, Petrus nuncupatur. *Primus, Scilicet* Ioannes XIV, antè vocabatur Petrus, Episcopus Papiensis, defuncti Othonis II, Imperatoris, olim Archi-Cancellarius. *Secundus*, Pe-

Prædictio hæc fallit in pluribus.

Petrus, Episcopus Albanensis. *Tertius*, Petrus de Tharentasia, Ordinis Sancti Dominici. *Quartus*, Petrus Iuliani *Quintus*, Petrus de Morone. *Sextus*, Petrus, Archiepiscopus Rothomagensis. *Septimus*, Petrus Belfortis, *Octavus*. Petrus Tonacellus. Post Bonifacium XI, qui obiit Annô 1404 nullum unquam Petrum, amplius futurum, Sum̃um Pontificem, non video, quô nam solidô fundamentô asseratur. Certum tamen, & admiratione, considerationeq; dignum. (ut notârunt Raynaudus, Papebrochius, & alii) quòd cùm Petri nomen, jam inde à Constantini Magni ætate, fuerit Romæ frequentatum, (ut constat ex Romanarum Synodorum subscriptionibus) ad hæc tamen tempora, ex 246 Summis Pontificibus, octo nonnisi post S. Petrum fuère, quibus nomen Petri, in Baptismo obtigit.

NOTA Primò.

Cur nullus Romanus Pontifex factus, nomen Petri assumpsit?

NEmo, postquam mutandorum Pontificibus nominum, consvetudo invaluit, in Summum Antistitem electus, nomen Petri, sibi

bi arrogavit, cùm tamen multi ſint, qui ſe Paulos dixerint: id autem provenit ob reverentiam erga Apoſtolorum Principem, & primum Eccleſiæ, Viſibile Caput; ut colligunt nonnulli, ex Sergii IV. ſepulchrali inſcriptione, quæ eſt in Baſilica Lateranenſi. In Prophetia, quæ nomine, S. Malachiæ Hiberni, circumfertur, legitur ultimum ex Romanis Pontificibus, appellandum Petrum Secundum. Sed hanc Prophetiam, eſſe commentitiam, & falsò attribui S. Malachiæ, deduxi suprà..

NOTA Secundò.

PRimus qui nomen mutavit in Pontificatu, fuit (juxta Baronium, Onuphrium, & communiſsimè, alios Scriptores) Joannes XII. Annô 955. electus in Papam, antè dictus, Octavianus. Mutavit porrò, teſte Eminentiſsimô Baroniô, ex eo, vel ut in nomine ſaltem, poſſet bene audiri, in adulatoriis acclamationibus, quibus malè uſurpatum, proferri ſoleret, Sacrum illud elogium, Joan: 1mo. *Fuit homo miſsus à DEO, cui nomen erat Ioannes;* Vel quòd eo no-

Quis primus mutavit nomen in Pontificatu? & quâ ob cauſam?

nomine Patruus ejus, Ioannes XI, sit appellatus. Doctissimus autem Onuphrius, in Annotationibus suis in Platinam, cum nonnullis dicit: ideo à Ioanne XII, mutatum nomen, quòd Octaviani nomen prorsus gentile, non satis convenire videretur, Vicario Christi, & Religioni Pontificiæ, Exemplum Octaviani sequentes Pontifices (ait Onuphrius) qui deforme & parum conveniens tanto Magistratui, nomen habuêre, sensim & paulatim secuti, levem consvetudinem, tanquam in legem perpetuam transtulerunt, cæterum hanc rem, Romani Pontifices, & maximè ex Germania lecti, Gerebertus, Svidegerus, Poppo, Geberardus, Gerardus, Gadolus, Hildebrandus, & similes, maximè confirmârunt barbarorum nominum deformitate commoti; Platina, minùs probabiliter opinatur, Sergium II, qui electus in Papam, Annô 844. primum fuisse, qui nomen mutavit, ob turpitudinem præhabiti nominis, eò, quòd *Os Porci*, antea nominaretur, indeq; consvetudinem manâsse, mutandi nominis, ante Pontificatum.

NOTA

NOTA Tertiò.

SAnctus Antoninus in suo Chronico, in 2. par. tit. 16, cap. 1. mihi fol. 567. ait: *Suscepit post Gregorium IV, regendam Ecclesiam Sergius II. natione Romanus, ex Patre Sergio, Annô Domini* 844. *Hic, ut dicit Martinus, in Chronica sua, dicebatur,* Os Porci, *quod quia turpe nomen erat, vocatus est, Sergius; exinde in posterum Statutum est, & servatum usq; in hodiernum diem, ut cum creatur Summus Pontifex, dimittat nomen suum, quô vocabatur ante creationem, & vocetur nomine novo, quod ipsimet placet assumere, ex eorum nominibus, qui jam in Sede Petri fuerunt descripti, & denominati. Et ultra istam rationem, ne scilicet contingat Papam, aliquo nomine turpi vocari; addit Archidiaconus, duas alias rationes, videlicet, quia & Christus mutavit nomen primi Summi Pontificis Petri, cùm prius vocaretur Simon. Tum etiam ad innuendum, ut totus novus homo debeat existere, & sicut mutatur nomine, primum relinquens, sic mutetur moribus,*

Ex S. Antonino afferuntur rationes variæ mutandi nominis.

relictis omnibus passionibus, & veterem hominem deponens, novum induat, qui secundùm DEUM creatus est, in Iustitia, & Sanctitate veritatis. Quod hic Divus Antoninus, ex Martino, & superiùs etiam Platina refert, apud nullum Veterum Auctorum reperitur. Imò ex Anastasio Bibliothecario, qui illo tempore floruit, habetur etiam ante Pontificatum, fuisse Sergium appellatum. Sed Joannes XII. primus invenitur, qui priscum nomen, Papa creatus, mutavit, cùm ante Pontificatum, Octavianus diceretur. Adverte. Adrianus VI, Annô 1522 assumptus ad Pontificatum, nec non Marcellus III, Annô 1555 electus in Pontificem, non mutârunt nomina, sed propria retinuerunt.

QUÆSTIO V.

VATICINIUM

Istud

Papa si aliquem in Sanctorum numerum referat, brevì post è vita excedet.

Quam-

Quamnam censuram meretur?

POtentissimus Poloniæ & Sveciæ Rex Sigismundus III, pro sua singulari in Divinissimos Regni Patronos pietate, magno Conatu, interposita suæ Majestatis Authoritate, instantissimisq; postulatis agebat Annô 1594 (ut refert P. Ioannes Kwiatkiewicz S. J. in suis Annalibus Ecclesiasticis, ad hunc Annum) per Legatum suum Illustrissimum Stanislaum Minski, Palatinum Lanciciensem, apud Summum Pontificem Clementem VIII, ut ritu Solenni, Sacrâ Apotheosi donaret, Beatum Hyacinthum, antea Canonicum Cracoviensem, postea Romæ in Sacrum Prædicatorum Ordinem ab ipso Institutore S. Dominico adlectum, Sanctitate & miraculorum gloriâ percelebrem. Erant nonnulli, etiam primariæ Authoritatis, qui Clementem VIII ab ea mente dimovere conabantur, hac potissimùm ratione, quòd sit recepta Vaticinii traditio, brevì è vivis abituros illos Pontifices, qui Albo Sanctorum aliquem inscribunt. Ast meritò & laudabiliter rejecit terriculamenta hæc inania Pontifex Prudentissimus, & illo ipso

Vaticiniū hoc à vero deviat; ut demonstratur.

Annô 1594, cum omni Solennitate & apparatu S. Hyacinthum, in Sanctorum numerum Fastosq; retulit: nec abrupit illi vitam præclara in Cælites pietas, quin imò ad decem Annos protraxit.

Alexander item III, Annô 1165, S. Bernardū, Albo Sanctorum inscripsit, & post.. Superstes fuit Annîs quindecem: nec non pluribus Annîs ante suum obitum annumeravit Sanctis Divum Thomam Catuariensem, & alios quatuor. Gregorius etiam IX, S. Dominicum Canonizavit, & supervixit Annîs 13, nec non sat longo tempore ante suam mortem, B. Franciscum, & alios quatuor declaravit Sanctos.

Accedit. Quia primis sexcentis Annis, fiebant Canonizationes Sanctorum, vel à solis Episcopis, vel in Synodis Provincialibus; & tamen certum est, Prælatos omnes, qui Synodis illis Provincialibus interfuerant, & Episcopos, brevì post non obiisse. Cur ergo Summis Pontificibus, referentibus, aliquem in numerum Sanctorum, ex eo obvenire debeat, vitæ abbreviatio?

Meritò proinde Vaticinium illud, à Petro Galesinio, Raynaudo, & aliis, dicitur esse nugamentum

mentum; fortasse excogitatum ideo, ut esset ad manum prætextus coërcendis illis, qui nimis ardenter expeterent alicui decerni Cælitũ honores.

Eruditionis Gratiâ, Nota Primò.

CAnonizationis solennis à Summo Pontifice, exemplum primum, de quo prudenter dubitari nequit, est S. Udalrici, Augustani Episcopi, qui obiit Annô 863, die 11 Iunii & in Sanctorum numerum relatus, Annô 993, à Ioanne XV. Cardinalis autem Bellarminus, septima Controversiâ, libro 1. cap. 8. dicit: *Primus Pontifex, (ni fortè fallor) qui Sanctos legatur canonizâsse, videtur fuisse Leo III, Papa (obiit is Annô 684) qui Sanctum Svibertum, Catalogo Sanctorum Confessorum, solenniter adscripsit; hanc primum legi Solennem Canonizationem, ante quam fortasse fuerunt etiam aliæ, sed non mihi constat. Postea autem Innocentius II, Canonizavit Sanctum Gratianum, Episcopum Gratianopolis. Inde verò Alexander III, S. Bernardum, à quo tempore omnes alii, qui Sancti sunt habiti, ut Thomas Cantuariensis*

Quis primus à Rõ: Pontifice in Album Sanctorum relatus?

arienſis, Dominicus, Franciſcus, & alii, à Pontificibus Summis, in numerum Sanctorum relati ſunt.

NOTA Secundò.

Alexander III decrevit ut recurratur ad Rō: Pontificē pro Canonizatione.

EX conſvetudine maximè rationabili, tam universaliter, inductâ, ut eſſe pro lege cenſeatur, introductum eſt; & Decreto Alexandri III, qui electus in Papam, Annô 1159. & obiit 1181. Sancitum, ut pro Canonizatione, ſemper recurratur, ad Sedem Apoſtolicam. Cōſvetudinem illam, patenter agnoſcunt, Archiepiſcopus Viennenſis, & ejus Suffraganei, Annô 1231 poſtulantes à Gregorio IX, Canonizationem Stephani, Dienſis Epiſcopi, Annô 1208 defuncti; in eorum enim literis, ad Pontificem datis, leguntur etiam hæc: *Quia nemo quantacunq; meritorum prærogativâ polleat, ab Ecclesia DEI, pro Sancto habendus eſt, niſi prius per Sedem Apoſtolicam ejus Sanctitas fuerit approbata.* In tertio etiam Decretalium, per Bonifacium VIII collectô, titul. 45, *de Reliquiis, & venerat: Sanct. cap; Audivimus.* legitur: quòd quibusdam Diabolicâ fraude, inductis ad vene-

venerationem hominis in potatione, & ebrietate, occisi more infidelium frequentandam, ut Sancti, præcipit Alexander III, *ut illum non præsumant de cætero colere.* & rationem addit. *Cùm etiamsi per eum miracula fierent, non liceret ipsum pro Sancto, absq; Authoritate Romanæ Ecclesiæ venerari.* Et meritò, pro ejusmodi declarationibus recurritur, ad Romanum Pontificem; is enim cùm loquitur ex Cathedra, (id est, si Decreta veritatem Fidei, vel morum concernentia, ita proponat ut ad illa recipienda, graviter obligare velit totam Ecclesiam) tam ut in Decretis Fidei, toti Ecclesiæ propositis, quàm in Decretis Morum obligantibus totam Ecclesiam, non potest errare, ut ostendi in tota Quæstione Prooemiali, Admirandorum Jansenismi; unde nequit errare Papa, in Sanctorum Canonizatione, siquidem Decretum Canonizationis, spectat ad Decreta Fidei & Morum, obligantia totam Ecclesiam; errorq; talis repugnat Doctrinæ & Sanctitati Ecclesiæ. Hinc S. Bonaventura in Opusculo, contra Gvilielmum de S. Amore Hæresi-

archam, ait: *Ad infidelitatem ſpectat, de S. Canonizati Glcriâ, dubitare.* Idem docent Theologi plurimi, cum Valentia, Ricciolo, Tannero, &c. Quamvis Gerſon, Bannes, Suarez, Vaſquez, Raynaudus, dicunt eſſe quidem ſatis certum, non poſſe Papam errare in Canonizatione, licèt non ſit hoc de Fide.

Accedit. Tum quia Canonizatio Sanctorum eſt una de cauſis majoribus, quæ inter Chriſtianos proponi queat, & ideo ad Sedem Apoſtolicam pertinet. Tum ne per aliquorum Epiſcoporum ſimplicitatem, vel neglientiam, quis pro Sancto habeatur, qui revera non eſt. Item ne Sanctorum numerus, in infinitum multiplicetur, unde Sanctitas vileſceret.

NOTA Tertiò

INter alias Cerimonias, in Canonizationibus obſervari ſolitas, erant hæ; In Aula Concilii, tali ex cauſa celebrati, vel in area ante Eccleſiam patenti, vel intra ipſam Eccleſiam, pronuntiabatur Sententia, ab ipſo Pontifice, altâ voce, hâc vel ſimili formulâ: *Ad*

laudem

laudem, & Gloriam, Omnipotentis DEI, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Gloriosæ Virginis MARIÆ, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & ad honorem Ecclesiæ Romanæ, Beatissimum N.N. quem Dominus glorificavit in Cælis venerantes in terris, de Consilio Fratrum nostrorum, & aliorum Prælatorum, in Catalogo decrevimus Sanctorum adnotandum, & Festum, in die obitus sui celebrare. Hâc formulâ in Canonizatione S. Francisci, Seraphici Ordinis Patriarchæ, Annô 1228, usus est Gregorius IX, ut testatur Krantius. lib. 8. Saxoniæ, cap. 4. & statim Cardinales (inquit ille) *Te DEUM laudamus inchoaverunt.* Nunc Sanctorum Canonizatio fieri solet, inter Sacrorum Solemnia. Diciturque Alexander III, primus omnium, inter Missæ Solemnia peregisse Canonizationem Sancti Thomæ Cantuariensis.

QUÆSTIO VI.

Lutheri Prophetiæ, de Romanis Pontificibus recensentur & censurantur.

JOANNES AURIFABER, qui à viventis Luheri latere, vix unquam discessit, in Præfatione Voluminis Colloquiorum Mensalium, decem Nobilissimis Civitatibus Imperii, hæresi infectis, dedicati, appellat (Neo-Evangelicis omnibus constanter approbantibus) Lutherum, *Summum Orbis Illuminatorem, verum & Admirandum Prophetam.* imò ipse Lutherus de se dicit, in Colloq: *Ego sum Elias & Philippus,* (Melanchton) *est Ieremias.*

Hujus *Admirandi Prophetæ & Neo-Eliæ* audiamus oracula.

Lutheri Prophetiæ à vero longè deviæ.

Primò. In Epist: Annô 1525, cum illa inscriptione, editâ, *Fidelis Admonitio ad omnes Christianos.* audacter prædixit: *si per biennium, Doctrina & prædicatio mea duraverit, evanescet Papa, Cardinales, Episcopi, Monachi, Moniales,*

Missæ

Missæ. Eandem prædictionem refert, Cochlæus, in Actis Lutheri.

Secundò. Fatidicus cecinit & velut Epitaphium sibi vivo (ut ait Pomeranus Lutheri Discipulus primarius, in Oratione funebri, in ejus Exequiis) composuit. *Pestis eram vivens, moriens ero, mors tua, Papa.*

Tertio. In Exordio Libri, contra Regem Angliæ scripsit. *Dogmata mea stabunt, & Papa cadet invitis omnibus Portis inferi.* Ibidem. *Meis libellis brevi efficiam, ut nomen Papistæ, sit nomen abominationis, in Orbe terrarum; ut maledictum, & Anathema sit, esse Papistam.*

Quartò. In Præfat: lib: de Moribus Turcarum ait: *Nullus Papista, Monachus, Clericus, aut eorum Fidei Socius, si inter Turcas triduô agerent, in sua Fide permaneret; loquor de iis, qui seriò Fidem Papæ colunt, & optimi inter eos sunt.*

Quintó. Tom 2. Lat. Vitemb. in Assert: Art: 34. *Qui habet Aures audiendi, audiat, & à bello Turcico abstineat, donec Papæ nomen, sub*

sub Cælo valet. Fortè sicut Michæas, qui & ipse odiosus erat, quia non Prophetabat, nisi malum; dicam ego meo Achab; Ite, præliamini contra Turcas, ut resistatis Virgæ DEI, & cadatis, ut ille cecidit. Ut & ego Prophetem semel, licèt non audiar, quod scio. Nisi Romanus Pontifex redigatur in ordinē, actum est de omni re Christiana.

Verè hic admirandus Propheta, Neo-Elias est è numero illorum de quibus Ezechielis, cap. 13 legitur. *Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur Spiritum suum, & nihil vident . . Prophetæ tui vident vana, & divinant mendacium.* Post illud enim, ejus primum Oraculum, prædicavit Lutherus, non duos sed ferè viginti duos Annos, obiit enim Anno 1546, & tamen minimè evanuit Papa, Cardinales, Missæ, &c. Pseudo Propheta mortuus, Papa & Papatus vivit & vivet, stat stabitq́ꝫ, invitis omnibus inferi Portis, quæ juxta omnipotentis Prophetæ Vaticinium, non prævalebunt.

Minimè effecisti Luthere, ut nomen abominationis in Orbe terrarum sit, esse *Papistam.* Esse enim Papistam, est tenere eam fidem, quam

Ortho

Orthodoxa Romana Ecclesia, & Papa seu Romanus Pontifex, qui est *Pater in Spiritu omnium Catholicorum in terris, & Successor S. Petri; Vicarius Christi in terris; Pater Christianæ plebis; Custos totius Ovilis S. Ecclesiæ:* ut eum Sancti Patres appellant. Vide ad calcem Libri hujus. Rectè Eminentissimus Cardinalis Stanislaus Hosius, Varmiensis Episcopus, Præses Concilii Tridentini, dicere consueverat *Qui non est Papista, est Satanista.* *Quid est, esse Papistam?*

In tuo item 4to Oraculo, evidenter falsitatis convinceris Luthere; plurimi enim semper etiam nunc Papistæ, Monachi, Clerici, Laici, inter Turcas multo tempore versantur sine Fidei Catholicæ jactura.

De mũ bene consistit res Christiana, Romano Pontifice, agente Pastorem Ecclesiæ visibilem.

Nota. In lib. cui Tit. *Admiranda Lutheri.* in Tract. 1mo. totô cap. 8vo, proposui multiplices Prophetias veras, quæ rectè intelligi possunt, de Luthero. Ex earum numero, placet etiam hic, unam recensere.

Cardinalis Robertus Bellarminus, è Socie-

tate

Prophetia de Luthero, sumpta ex Apocalypsi, omnino veritati conformis est.

" tate JESU, (ex quibus vocibus, consurgunt Anagrammaticè hæc) *Luteri, errores, ac Astutias Caluini, omnes delebis.* Lib. 3tio de Romano Pontifice cap. 23. & in Præfatione Tomi 4ti, eleganter probat, Lutherum ejusq; Doctrinam descriptam fuisse, à S. Joanne Apocalip. cap. 9no, quando vidit *S*tellam cecidisse de Cælo, & datam ei Clavim putei Abyssi, & aperuisse puteum Abyssi. *Quid enim aliud est,* (inquit Bellarminus) *Stellam de Cælo cadere? nisi hominem Cælesti vitæ addictum, à terra, longissimô intervallô remotum, Sacri Cælibatûs, aut Monasticæ Professionis splendore & puritate micantem, subitò ad terrenas delicias, atq; ad Negotia hujus Mundi delabi? mortali conjugiô implicari? in carne & sanguine volutari? Lutherum autem, quis tandem ignorat? Cùm aliquando Monasticam vitam perfectam, pauperem, continentem, Cælestem planè ac Divinam, in clarissimo quodam Ordine profiteretur, repentinô, atq; horribili casu, ex Sacerdote Laicum, ex Paupere Divitem, ex continente Maritum, ex Monacho, Politicum, factum? Monasterium in*

Palati-

Palatium; Pannosam vestem, in sericam; victum sobrium ac tenuem, in opiparas cœnas, & prandia, commutasse? Deniq; qui propter Christum, Uxorem, liberos, agros, nummosq; contempserat; iterum propter Uxorem, & liberos, propter agros, & nummos, Christum reliquisse. Quia verò Lutherus præcipuum suum studium, in Apostolica Sede oppugnandâ, positurus erat, seq; Christi Vicario Antagonistam singularem, professurus; pulchrè Ioannes dicit; Stellæ de Cælo cadenti, clavem abyssi datam, ita nimirum oportebat. Sicut Christus Apostolo, ejusq; Successoribus, claves Cælorum attribuit; ita etiam satanas, cum Apostolo suo primario, clavem abyssi communicaret; & sicut Petrus Cælesti clave, Divina Oracula reserabat, ac populis sibi creditis Doctrinam salutarem de Cælo adferebat. Sic Lutherus abyssi clave, infernalem puteum aperiret, ac tetros inde errores, antiquarum Hæresum colluviem, dogmata perniciosa, tartareaq; educeret. Rectissimè Bellarminus, pietate, Purpurâ, Eminentissimus, & cui, teste Clemente VIII, pro tunc quò ad doctrinam, Ecclesia non habuit parem; rectissimè

 inquam

inquam dicit; Lutherum ex infernali puteo, tetros errores, Antiquarum Hæresum colluviem, eduxisse; ut evidenter deduco ex Sanctis Patribus & ex libris ipsius Lutheri.

Recensentur Antiquarum Hæresum errores.

Sanctus Augustinus, quem ipsemet Lutherus in Colloq. Mensal. titulô de Patribus, nominat, *Præcipuum Lumen Ecclesiæ, omniq; laude dignum.* Calvinus verò eundem appellat, in lib. 4. Institutionum cap. 14. §. 26. *Optimum ex Antiquitate & fidelissimum Testem; Virumq; Sanctum*, pluries in iisdem Institutionibus vocat. Is ergo Divus Augustinus recensendo Veteres Hæreses, & variorum Hæresiarcharum impia dogmata, inter cætera lib. de Hæresibus, Hæresi 53, scribit sic; *Aeriani* (circa Annum Domini 342 exorti) *ab Aerio quodam sunt nominati, qui cùm esset Presbyter, doluisse fertur, quòd Episcopus non potuit ordinari, & in Arianorum Hæresim lapsus, propria quoq; dogmata addidisse nonnulla, dicens; Orare vel offerre oblationem pro mortuis, non oportere; nec Statuta solenniter, celebranda esse jejunia; sed cùm quisq; voluerit, iejunandum, ne videatur esse*

Scilicet errores Aërianorum.

se

se sub lege; dicebat etiam Presbyterum, ab Episcopo, nullâ differentiâ debere disscerni.

Pepusiani (emerserunt circa Annum Christi 181) *à loco quodam sic nominati sunt,* (inquit idem S. Augustinus Hæresi 27) *tantum dant mulieribus Principatum, ut Sacerdotiô quoq; apud eos honorentur.* *Pepusianorũ.*

Eunomius Hæresiarcha, exortus Annô Christi, 366, *adeo fuit bonis moribus inimicus, ut* (inquit Sanctus Doctor, 54. Hæresi) *asseveraret, quòd nihil cuiq; obesset, quorumlibet perpetratio, ac perseverantia peccatorum, si hujus quæ ab illo docebatur, fidei particeps esset.* *Eunomianorum.*

Donatistæ exorti, circa Annum 358; *Docuerunt, quòd Ecclesia* (scribit idem S. Pater Hæresi 69) *de toto Orbe terrarum perierit, atq; in Africa, Donati parte remanserit.* Donatistæ Appellârunt cũ Petiliano, *Cathedram Apostolicam, in qua Petrus sedit, Cathedram pestilentiæ;* teste eodem Sancto, contra literas Petiliani, lib. 2. cap. 51. Item, *Petilianus,* (fuit is acerrimus Donatistarum Patronus, è causidico factus Constantiniensis, seu Cirtensis Episcopus; Numidiæ enim Urbs, Cirta, hodie Constantina *Donatistarũ.*

appellatur) *perexit ore maledico, in vituperationem Monasteriorum, & Monachorum, arguens etiam me* (ait S. Augustinus contra Petilianum lib. 3. cap. 40.) *quòd hoc vitæ genus, à me fuerit institutum.*

Manichæorũ. *Manichæus Faustus* cum suis Asseclis *nos* (inquit idem Sanctus Doctor contra Faustum, Manichæum lib. 21.) *calumniatur, quòd Martyrum memorias honoramus, in hoc dicens nos idola convertisse; sed maledicendi cupiditate Faustus, quod profitetur, oblitus est. Populus Christianus memorias Martyrum, Religiosa Solennitate concelebrat; & ad excitandam imitationẽ, & ut meritis eorum consocietur, atq; Orationibus adjuvetur, ita tamen, ut nulli Martyrum, sed ipsi DEO Martyrum, Sacrificemus, quamvis in memorias Martyrum, constituamus Altaria.*

Idem S. Augustinus de Hæresibus, Hæresi
Ioviniani. 82. scribit. *A Ioviniano Monacho, Iovinistarum Hæresis orta est ætate nostra, cùm adhuc juvenes essemus, hic dicebat, nihil prodesse jejunia, & à cibis aliquibus abstinentiam; Virginitatem etiam Sanctimonialium & continentiam Sexûs*

Viri-

Virilis, in Sanctis eligentibus Cælibem vitam, conjugiorum Castorum atq; fidelium meritis adæquabat; ita quædam virgines Sacræ provectæ jam ætatis in Urbe Roma, ubi hæc docebat, eo audito, nupsisse dicantur: citò tamen ista Hæresis oppressa & extincta est, nec usq; ad deceptionem aliquorum Sacerdotum potuit pervenire.

Sanctus Hieronymus (de quo Gelasius Papa cum septuaginta Episcopis, Annô Christi 494, in Concilio Romano dixit. *Illa sentimus, quæ Beatissimum Hieronymum sentire cognovimus* hic inquam Sanctus Ecclesiæ Doctor, in Epistola sua 53. ad Riparium scribit. *Vigilantius fætidum os iterum aperit, & putorem spurcissimum contra Sanctorum Martyrum profert Reliquias. Et nos qui eas suspicimus, appellat Cinerarios & idololatras, qui mortuorum hominum ossa veneramur.* **Vigilantii.**

Sanctus Bernardus, virtute miraculorum & eximia vitæ Sanctitate conspicuus, Serm. 66. in Cantica, de suis temporis Hæreticis quibusdam, qui se ipsos Apostolicos appellârunt, scribit hæc. *Irrident nos quòd oramus pro mortuis; quòd Sanctorum* **Pseudo-Apostolicorum.**

ctorum Suffragia postulamus: non credunt ignem purgatorium restare post mortem, sed statim animam solutam à corpore, vel ad requiem transire, vel ad damnationem.

Recensitos errores, Lutherũ ex infernali puteo eduxisse demonstratur.

Nonne hæc impia dogmata veterum Hæresiarcharum & Hæreticorum, recensita à Sanctis Patribus, & in Antiqua Ecclesia à prædictis Patribus, & omnibus Orthodoxis, habita pro damnatis, & impiis, pridemq; sepulta, nonne inquam ab inferis revocavit Lutherus? Utiq; ille negando dari purgatorium, & Missæ Sacrificium auferendo, jejuniaq; consveta Ecclesiæ tollendo, docuit cum Aerio & Aerianis. *Orare vel offerre pro mortuis Oblationem non oportere, Nec statuta solenniter celebranda esse jejunia?* Utiq; cum Aerio asseruit, *quòd Presbyter nihil differat ab Episcopo?* Inauditoq; in Ecclesia Orthodoxa exemplô, ipsemet Lutherus ordinavit pro Presbyteratu plures, inter quos Georgium Rorarium Annô 1525. & Benedictum Schichman, Annô 1540. Imò etiam duos, in Episcopos ordinavit, nempe in Merseburgensem & Namburgensem.

Cum

Cum Pepusianis item dedit mulieribus tantum Principatum, ut eis Sacerdotalem potestatem tribuerit; in libro enim suo de Abroganda Missa privata, Tomo 2, Lat. Vitemb. ait. *Certus esto, & se agnoscat quicunq; se Christianum esse cognoverit, omnes æqualiter esse Sacerdotes, hoc est eandem in Verbo & Sacramento quocunq; habere potestatem.* Et in Libello de instituendis Ministris ad Senatum Pragensem, scribit. *Sacerdos in novo Testamento non fit, sed nascitur ex aqua in spiritu & lavacro regenerationis. Suntq; prorsus omnes Christiani, Sacerdotes.*

Hinc, ut scribit P. Georgius Scherer in sua Postilla de Sanctis, Concione 1ma de S. Stephano. *Ante paucos Annos non procul Viennâ, mulier quædam nobilis, per impositionem muliebrium suarum manuum, & lintei quô præcingebatur, locô stolæ, Filiorum suorum Præceptorem & Pædagogum, ad Prædicanticum officium vocavit, ordinavit, & consecravit.*

Nonne eduxit ab inferis impiam doctrinam Eunomii, dum ad suum Melanchtonem Epistolâ 238 scripsit hæc. *Esto peccator & pecca*

forti

fortiter, sed fortiùs fide & gaude in Christo, qui Victor est peccati, mortis, & Mundi; peccandum est quamdiu hìc sumus: sufficit, quòd agnovimus per divitias Gloriæ DEI Agnum, qui tollit peccata Mundi (hoc est, sufficit quòd credimus in Christum) *ab hoc non avellet nos peccatum, etiamsi millies, millies, uno die fornicemur aut occidamus.*

Utique cum Donatistis docuit, Ecclesiam veram toto Orbe periisse, & tantummodò per multa sæcula, aliquo in angulo Orbis latuisse ad adventum usque Hussii & suum? Longè item majori maledicentia, quàm Petilianus, & Jovinianus insurrexit contra Cathedram Petri & Monachorum vitam, Ecclesiasticorum Cælibatum.

Nonne cum Manichæo Fausto *calumniatur nos* Catholicos, *quòd Martyrum memorias honoremus, in hoc dicens nos idola convertisse,* Nosque qui Reliquias suscipimus, appellat *Cinerarios ac Idololatras.* Et cum Pseudo-Apostolicis *irridet nos* (Lutherus cum suis Asseclis) *quòd oramus pro mortuis, quòd Sanctorum Suf-*

fragia

fragia postulamus, nec credit ignem purgatorium restare post mortem.

Ex dictis constat, Prophetiam in Cap. 9no. Apocalyp. v 1. & 2. contentã, rectè à Cardinali Bellarmino applicatam esse *Luthero.*

Constat itẽ rectè à Georgio Duce Saxoniæ, æternâ memoriâ dignissimo Principe, Friderici Fratre, Annô 1526, ipso Innocentium Festo, scripta esse ad Lutherum inter alia etiam hæc: *Ex tua* (inquit) *& tuorum Discipulorum doctrina renovantur omnes antiquæ & jam olim damnatæ Hæreses.* Habentur hæ Ducis Georgii literæ integræ in Tom. 3tio. Lutheri Jenensi Germanico. Et Carolus Quintus in Edicto suo contra Lutherum lato Wormatiæ, Annô 1521 ex assensu & Consilio Electorum, & omnium Sacri Imperii Principum Ordinum & Statuum. (Exstat hoc edictum in Tomo 2. Lat. Vitẽb. *Constat,* (inquit) *Lutherum non hominem, sed dæmonem potius, figurâ & specie humanâ, cucullóq; Monasticô indutum, complurium hæreticorum, extremè damnatas Hæreses (quæ diu*

jam obsoleverant) in unam quasi Lernæam paludem coegisse; = ut veram sinceramq; Fidem destruat & labefactet, ac sub nomine, fucoq; Evangelicæ Doctrinæ, omnem Evangelicam pacem & charitatem, bonarum rerum harmoniam, atq; Constitutionem, ipsamq; deniq; pulcherrimam Ecclesiæ Hierarchiam, extingvat, evertat, dissolvat, & obruat.

QUÆSTIO VII.

Quænam Prophetiæ, ex Sacra Scriptura desumptæ, impudenter, & calumniosè asseruntur esse de Romanis Pontificibus?

PRÆMITTO.

Nomẽ Christi & Antichristi variè sumitur

SIcut nomen CHRISTI sumitur dupliciter; Primò propriè & speciatim, pro quodã eximio & singulari Christo, qui est JESUS Filius DEI vivi. 2dò. Communiter pro his omnibus, qui habent cum Christo similitudinem, quantùm ad unctionem; & sic Prophetæ, Reges

Reges, & Sacerdotes omnes dicuntur Christi; Psal. 114. *Nolite tangere Christos meos.* Ita etiam Nomen *Antichristi* sumitur bifariã; Primò Pro principali & eximio Christi Adversario, de quo agitur. 2. Thesal. 2. & 1 Joa: 5. & apud Danielem, & in Apocalpysi. 2dò. Pro quocunq; Christi Adversario, cujusmodi sunt omnes Hæretici, & in hoc sensu dictum est ab Apostolo 1. Joan. 8. v. 18. *Nunc Antichristi multi facti sunt*; id est multi Hæretici, malè de Christo sentientes, de quibus sequitur. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis.* Item 1. Joan: 4. v. 3. *Omnis spiritus, qui solvit IESUM, ex DEO non est, & hic est Antichristus, de quo audistis, quoniam venit, & nunc jam in Mundo est.* Hanc distinctionem tradunt Sancti Patres; Augustinus, Tom. 6. lib. 2. contra Adversarium Legis, & Prophetarum. cap. 12. ait. *Ad quem pertinet etiam iste, qui se ostendit Antichristum; non unum illum majorem cæteris, sed ex his aliquem, de quibus dicit Ioannes Evangelista; Nunc Antichristi multi facti sunt. Eos enim dicebat Hæreticos, qui temporibus Apostolorum, esse jam*

cæperant. Et S. Damascenus lib. 4. Orthodoxæ Fidei, c. 27. *Omnis qui non confitetur Filium DEI & DEUM venisse in Carne, & esse DEUM perfectum, & factum esse hominem perfectum, Antichristus est. Attamen peculiari modò, ac præcipuô, Antichristus dicitur, qui in consummatione sæculi venturus est.* Ita passim & alii Patres.

Gravissima calumnia Novatorum in Rom: Pontificem.

Lutherus, Calvinus, eorumq; sequaces, quæcunq; Prophetico spiritu de Antichristo propriè dicto prædicta continentur in Sacra Scriptura, ea omnia de Romanis Episcopis esse certa, & evidentia Oracula, asserunt. Certè Calvinus in Explanatione Epistolæ 2dæ, ad Thessalonicenses cap. 2. *Quisquis* (inquit ille) *à Scriptura edoctus erit, quænam DEO maximè sint propria; & ex adverso intuebitur, quid sibi Papa usurpet, etiamsi puer sit decennis, non multùm laborabit in noscendo Antichristo, quòd scilicet Papa sit Antichristus.* Lutherus etiã Tomo 1. Vitemb. in Disputatione in illud: *Vade, vende.* Et alibi, præsertim in libro suo fædissimo, blasphemiis pleno, cui titulus: *Adversus Papatum*

tum Romæ à Satana fundatum. dicit: *Omnino evidens est, quòd Papa sit Antichristus, Monstrum, de quo Daniel dicit; quòd adversatur omni DEO Deorum &c.* Et quidam dictorum Hæresiarcharum impudentissimi, Asseclæ, contrucidatæ honestatis, & veritatis tenebriones, in libris etiam à se editis, non erubuerunt asserere, quantâ certitudine ac evidentiâ, demonstratur DEUM existere, eadem certitudine & claritate, Papam esse Antichristum, in Sacra Scriptura prænuntiatum, demonstratur. Cum tamen omnis eorum demonstratio, vel nuda eorum assertione, vel patentibus mendaciis, enormibusq; calumniis; vel textûs Sacri depravatione, aut contorsione nitatur.

Notârunt rectè Theologi gravissimi, Lessius Valentia, & alii, longaq; inductione constat, Consvetum esse Hæreticis, ut dum aliquod grande paradoxum statuunt contra Orthodoxos, pleno ore clamare, id esse clarissimum etiam Idiotis & ipsis pueris; quod & hic facit Lutherus, & Calvinus. Si & decenni puero facilè est nosse, Papam esse Antichristum. Cur id retroàctis sæculis,

culis, hucusque ignorat Universus Orbis Orthodoxus? Norunt bene Sancti Patres antiqui, & Concilia Oecumenica: nôrunt Celeberrimæ Christianæ Academiæ, & doctissima Sapientum Collegia. Nôrunt Reges, & Principes Catholici, quænam sint DEO maximè propria: item nôrunt, quæ sibi usurpet Papa; hucusque tamen non tantùm non agnoverunt Papam esse Antichristũ, sed semper firmissimè asseruerunt & asserunt, eum esse Caput visibile, & Pastorem Universæ Ecclesiæ. Ita è Patribus S. Jræneus lib. 3. adversus Hæreses cap. 3. Athanasius in Epist. ad Felicẽ Papam. S. Basilius Epist. 52. ad Athanasium. S. Chrysostomus Epist. 1. ad Innocentium Papam. S. Ambrosius in cap. 3tium Epist. 1mæ. ad Timotheum. S. Anselmus lib. de Incarnatione Verbi. cap. 1. & alii. Ex Conciliis item Concilium Generale Chalcedonense, Actione 1. 2. & 3. in Epist. ad Leonem. Concilium Nicænum 2dum Actione 2. Lateranense sub Innocentio III, cap. 5. Florentinum, & alia. Vide plura hac de re infrà, & sub Notato 2do, 3tio, & ad Calcem Libri hujus sat fusè.

In

Insuper Papam non esse Antichristum, solidè ac patenter inter alia evincunt etiam hæc.

Demõstratur evidenter & multifariè, Rõ: Pontificẽ, non esse Antichristum.

Primò. Antichristus non regnabit nisi tribus Annis cum dimidio; ut habetur Danielis. 7. v. 25. *Per tempus & tempora, & dimidium temporis.* Item Apocal. 11. v. 2. *Mensibus quadraginta duobus* & ibidem v. 3. *Diebus mille ducentis sexaginta.* Unde S. Irenæus lib. 5to. in fine ait. *Regnabit Antichristus Annis tribus & Mensibus sex: & tunc veniet Dominus de Cælis.* S. Augustinus lib. 20. de Civitate DEI, cap. 23. *Antichristi* (inquit) *adversus Ecclesiam, sævissimum Regnum, licèt exiguo spatio temporis sustinendum, qui vel dormitans, hæc legit, dubitare non sinitur, tempus quippe & tempora, & dimidium temporis, Annum unum esse, & duos & dimidium, ac per hoc tres Annos, & semissem etiam numero dierum posterius posito, dilucescit aliquando in Scripturis, & Mensium numero declaratur.* Similia habent Theodoretꝰ in cap. 7. Danielis. Sanctus Cyrillus Catechesi 25. & alii passim.

Secundò. Recipietur à Judæis pro Messia,

ut

ut docent SS. Patres antiqui, Irenæus, Cyrillus, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Hilarius, & alii, idque probant, Tum ex cap. 5. Joan. v. 43 *Ego veni in nomine meo, & non recipitis me, si alius venerit in nomine suo, illum recipietis.* Tum ex S. Pauli Epist. 2. Thessal. cap. 2. v. 10. *Eò quòd Charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo, mittet illis DEUS operationem erroris, ut credant mendacio.*

Tertiò. *Ignem faciet descendere de Cœlo in conspectu hominum.* Apocal. 10. v. 13. Efficiet item, *ut Imago Bestiæ loquatur.* Apocal. 13. v. 1.

Quartò. Sedes Antichristi futura est Hierosolymis; S. Joannes enim in Apocal. cap. 11 dicit duos testes (scilicet Enoch, & Eliam) pugnaturos cum Antichristo, in Jerusalem, & ibidem ab illo interficiendos; *& corpora* (inquit) *eorum jacebunt, in plateis Civitatis magnæ, quæ vocatur Spiritualiter Sodoma, & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus est.* In quem locum ait Aretas. *Corpora ipsorum insepulta, projiciet in plateas Ierusalem, in ea enim regnabit tanquam Rex Iudæorum.* Similiter exponunt alii Interpretes.

Quin-

Quintò. Tempore Antichristi, venturi sunt duo testes (Enoch & Elias, vel ut alii volunt cum Patre Maldonato, in cap. 17. Mathæi, Moyses & Elias) qui *amicti Saccô*, seu ciliciô, *prophetabunt diebus mille ducentis & sexaginta, & habebunt potestatem claudendi Cælum, ne pluat diebus Prophetiæ ipsorum, & potestatem habent, convertendi aquas in sangvinem, & percutiendi plagâ omni terram.* Apocal. 11.

Sextò. Venturus Antichristus modoprimùm, post eversionem Romani Imperii, ut asserunt Patres, tam Græci, quàm Latini. S. Cyrillus Catechesi 15 ait. *Veniet prædictus Antichristus, cum impleta fuerint tempora Romani* Imperii. S. Chrysostomus in 2. Thessal. 2. *Quando è medio, sublatum fuerit Romanum Imperium, tunc veniet Antichristus.* Similiter loquuntur, Ambrosius, Theophilactus, Lactantius, & alii. Item Tertullianus in Apologetico adversus Gentes, cap. 32. ubi etiam addit; Fideles orare pro diuturnitate Romani Imperii, eò quòd sciant eo Imperiô eversô, imminere extremam sub Antichristo calamitatem. *Est* (inquit ille) *& alia ma-*

jor necessitas nobis orandi pro Imperatoribus, etiam pro omni Statu Imperii, rebusq; Romanis, quòd vim maximam universo Orbi imminentem, ipsamq; clausulam sæculi, ac orbitates horrendas comminantem, Romani Imperii commeatum sciamus retardari; itaq; nolumus experiri, & dum precamur differri, Romanæ diuturnitati favemus.

Divus Hieronymus id ipsum confirmat insuper antiquissima Traditione Ecclesiæ; in Caput enim 7. Danielis. *Ergo dicamus* (inquit) *quod omnes Scriptores Ecclesiastici tradiderunt, in Consummatione Mundi, quando Regnum destruendum est Romanorum, decem futuros Reges, qui Orbem Romanum, inter se diuident.*

Propheta verò Daniel. cap. 7. v. 24. sat clarè prædicit, non venturum Antichristum, nisi post illos decem Reges, qui Imperium Romanum inter se divident, & proinde post illius eversionem.

Hæc enumerata signa sex, nullatenus convenire Episcopis Romanis, per se evidens est. Nō enim tantùm semi quatuor Annis, verùm multis sæculis, regnat jam Pontifex Romanus; à

Judæ-

Judæis pro Mesia nunquam receptus; nec ullus post Divum Petrum fuit, Judæus Gente, aut Religione; non fecit ignem de Cælo descendere, aut bestiam loqui; Sedem suam habet Romæ non Jerosolymis, ubi Crucifixus est Dominus; necdum etiam comparuerunt illi duo testes, Enoch vel Moyses, & Elias, amicti saccô. Imperium demum Romanum, nondum planè desolatum, ac eversum est.

Accedit Imò. Quia Ecclesia Catholica, quæ toto Orbe diffusa est, non potest errare in Fide, cùm sit Columna & Firmamentum veritatis Hæc autem Ecclesia negat Pontificem esse Antichristum, & fatetur, Eum esse suum Pastorem, & Caput.

Eadē veritas clarè evincitur adhuc aliis Rationibus.

Accedit 2dò. Quia qua ratione est evidens Luthero, Papam esse Antichristum? siquidem ipsemet Lutherus adhuc Annô 1518, die Sanctisimæ Trinitatis, ad Leonem X Papam, in Præfatione, in Resolut: Indulgent: scribit hæc. *Beatissime Pater, prostratum me pedibus Beatitudinis Tuæ offero cum omnibus quæ sum, habeo. Vivifica, occide, voca, revoca, approba, reproba*

Judiciũ Lutheri pro tũc Sobrii, de Leone Papa, & Rō: Ecclesia.

ut placuerit. Vocem Tuam, vocem Christi in Te praesidentis & loquentis agnoscam; si mortem merui, mortem non recusabo. Et eodem Annô postea coram Cardinali Cajetano, & aliquot Proceribus ac Caesaris Consiliariis scriptô & ore fidẽ suã Confessus ita; *Ego Martinus Luther Augustinianus, protestor me colere & sequi Sanctam Romanam Ecclesiam in omnibus meis dictis, & factis, praesentibus, praeteritis, & futuris. Quodsi quid contra vel aliter dictum, fuit vel fuerit, pro non dicto haberi, & habere volo.* Imò adhuc Añô 1519, 3tia Martii scripsit Epistolã. ad Leonem Papam, in qua etiam continentur haec. *Plenissimè confiteor, Romanae Ecclesiae potestatem, esse super omnia; nec ei praeferendum quidquam sive in Caelo, sive in terra, praeter unum IESUM Christum Dominum omnium &c.* Insuper Annô 1520, 6tâ Aprilis ad eundem Leonem X scripsit (exstat haec Epist. Tom. 2. Lutheri, Epist. 166) *Celebratior* (inquit) *& Augustior est in omni Terrarum Orbe, tot tantorumq; Virorum literis cantata Opinio, & vitae tuae inculpatae fama, quàm ut à quovis vel maximi hominis possit quavis arte*

te

te impeti. Non ſum tam ſtultus, ut eum inceſſam, quem nemo non laudat.

Deinde Quæro. Omnesne Romani Pontifices fuerunt Antichriſti? Reſpondent Novatores. Minimè. Sed primus inter Epiſcopos Romanos, fuit Antichriſtus, Gregorius Magnus, homo peſsimus. Ita Centuriatores, Centuriâ 6tâ, cap. 1. & Chytræus in cap. 9. Apocalyp. Vel poſt Gregorium (qui ad Cæleſtem Beatitudinem evocatus Annô 604) Bonifacius III (ut alii volunt) qui obiit Annô Chriſti. 606 Contra eſt. (Præterquam quòd Lutherus in Cap. 9. Apocal. dicit. *Gregorius fuit Vir Sanctus & bonus.* idem dicit Bibliander.) Ergone omnes Majores noſtri Chriſtiani, quotquot in Polonia, Germania, Gallia, Hiſpania, Anglia, Svecia, Dania, &c. fuerunt ab Anno 600, usque ad tempora Lutheri & Calvini, ſcilicet ad Annum Chriſti 1515. (Nam Zvinglius An: 1516 Lutherus, 1517, Calvinus circa An: 1625, ſuas Hæreſes exorſi ſunt) fuerunt omnes hi Antichriſtiani, & ad inferorum pænas damnati? Itane æternum periêre, miraculis, doctrinâ, Sanctitate inſi-

insignes? præter alios innumeros, Bernardus Anselmus, Albertus, Stanislaus, Casimirus, Bonifacius I, Archiepiscopus Moguntinus, Germanorum Apostolus; Ansgarius, Apostolus Svecorum; Ebbo, Archiepiscopus Remensis, Daniæ Apostolus &c. Hi enim omnes, ut evidens est ex Historiis, paruerunt Papæ, & vixerunt post Gregorium Magnum. Quænam contra Pontifices Romanos Concilia legitima congregata? Quis eos, ex inculpatæ Fidei Auctoribus, & Doctoribus, unquam oppugnavit, & cõvicit errâsse in Materia Fidei? Ubi nam per tot sæcula latuit vera Ecclesia Christi? *Ecquid verisimilene est* (utor verbis Tertulliani de præscriptione, cap. 28. qui floruit Anno Christi 210) *ut tot, ac tantæ Ecclesiæ, in unam Fidem erraverint?* *aliquos Marcionitas, & Valentinianos* (Lutheristas, Calvinistas) *liberanda veritas expectabat, interea perperam Evangelisabatur? perperam credebatur?*

S. Bernardi sensus de Rõ: Pontificibus.

Audi Hæretice, mellifluum Doctorem Bernardum, qui obiit longè post S. Gregorium Magnum, nempe Annô 1153. quem, *Virum esse Sanctum*

ctum, nominat ipsemet Calvinus lib. 4. Instit. cap. 7. Audi inquam verba ejus lib. 2. de Consideratione, ad Eugenium Papam; *Age, indagemus adhuc diligentiùs, quis sis, quam geras, videlicet pro tempore Personam, in Ecclesia DEI? Quis es? Sacerdos Magnus, Summus Pontifex, Tu Princeps Episcoporum, potestate Petrus, Unctione Christus; Tu es, cui claves traditæ, cui Oves concreditæ sunt. Sunt quidem & alii, Cæli Ianitores, Gregumq; Pastores; sed Tu tantò gloriosiùs, quantò differentius utrumq; præ cæteris nomen, hæreditasti. Habent illi assignatos sibi Greges, singuli singulos; tibi Universi crediti, uni, omnes. Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur & in ipsos, qui potestatem super alios acceperunt.* Ibidemq; Eugenium, vocat *Vicarium Christi.* Non absimilia habent alii Sancti Patres.

Ad meliorẽ intelligentiam dictorũ.

NOTA Primò.

Demõstratur duos testes Apocal: non esse Hussum, & Lutherũ, vel Lutherum & Calvinum.

NOvatores nõnulli (ut testatur P. Beccanus) asserunt, per duos illos testes, Apocal: 11. intelligi debere *Ioannem Hussum, & Lu-*

the-

therum: vel *Lutherum* & *Zvinglium*, aut *Calvinum*, hi enim ab Antichristo (idest ut calumniātur) Romano Pontifice, persecutiones magnas passi sunt; imò primus ex illis, vivus combustus Constantiæ. Quàm effrontissima hæc interpretatio Scripturæ *S*acræ & cæca intelligentia! ut constat ex his.

Primò. Jlline duo testes à DEO missi? qui in Articulis Fidei, sibi docuerunt è Diametro opposita? Joannes enim Huss. Tom. 1. fol. 51. in Elucidatione sua Fidei; confirmat invocationem Sanctorum. Epist. 35. multùm tenet de meritis Sanctorum. Tomo 2. ad Caput Epist: 5. S. Jacobi, fol. 149. agnoscit septem Sacramenta; & eodem Tomo, Serm. de Exequiis, Missam approbat, docetq́; Corpus Christi esse ante sumptionem; hortatur item Sacerdotes ut Missas devotè celebrent. Lutherus verò, nonne omnino his contraria, suos docuit? licèt idem Huss, ob alias suas propositiones graviter erroneas, inter quas fuerunt hæ: *Omnia fiunt necessitate absoluta. Soli⁹ boni sunt in Ecclesia. Nullus est Dominus civilis, nullus est Prælatus*

Huss contraria docuit Luthero.

tus

tus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali. Meritò pro hæretico habitus est, à toto Universali Concilio Constantiensi, Ecclesiam Orthodoxam repræsentante, & ob Hæresim, rogo adjudicatus, ab eodem Concilio. Calvinus, Zvinglius negant verè esse Corpus præsens Christi in Eucharistia, sed solùm esse figuratè, significativè, seu tanquam in signo. E contra Lutherus, firmissimè censet, existere verè Corpus Christi in Eucharistia, licèt simul cum Substantia panis.

Secundò. Lutherus in lib. de verbis Cœnæ. ait. *Moneo, ut non aliter sibi caveant à Zvinglio, quàm à Sathanæ veneno. Sacramentarii*, (id est Calvinistæ & Zvingliani) *sunt Verbi DEI corruptores, Idololatræ, Diabolicas cogitationes circumferentes, blasphemi, deceptores. Maledicta sit in omnem æternitatem, cum illis charitas, & concordia.* E contra Zvinglius Tomo 2. Epistolarum ad Esling. scribit; *Lutherus est falsus Propheta, scurra, sue fœdior, pessimus Hæreticus, impostor, Marcione peior.* Et in Responsione ad Lutheri librum de Sacramento, ait. *Lutherus* *Lutheri judicium de Zvinglio, & è contra Zvinglii de Luthero.*

O est

est incorrigibilis hæreticus, Antichristus, Christi negator.

Tertiò. Illinc sunt testes, *amicti saccô*, seu ciliciô, qui postquam à Fide Catholica defecerunt, detestati sunt Austeritatem vitæ, castigationemq́ corporis proprii: ad omnemq́ peccandi licentiam, aperuerunt viam, docendo; solam Fidem, ad salutem necessariam esse, & sufficientem; Decalogum non pertinere ad Fideles Christi. Legem DEI, Sanctis esse impossibilem. Omnia nostra opera bona, esse peccata mortalia coram DEO.

NOTA Secundò.

Nomine Babylonis, quid intelligitur?

PEr Babylonem, quam describit S. Joannes, in sua Apocal. cap. 17. de eaq́ ibidem multa prædicit; licèt SS. Patres, Augustinus, Ambrosius, Prosper, Beda, Thomas, item Haymo, Rupertus & alii, intelligunt universam Diaboli Civitatem, id est, omnium impiorum multitudinem; tamen probabiliùs est, quòd per Babylonem in sensu literali, intelligatur Roma; ut ex Scriptura, ratione, & Auctoritate, tam antiquo-

rum Scriptorum, Tertulliani, Hieronymi, Cassiodori, Victorini; quàm Theologorum recentium, ut Bellarmini, Salmeronis, Suarez, Sixti Senensis; aliorumq; plurimorum doctissimè probat, noster Cornelius à Lap. in suo Eruditissimo Cōmentario, in Apocalypsim. Probabiliùs, inquam, quòd Roma intelligatur; sed non ut Hæretici calumniantur, Romana Ecclesia, neq; Roma Christiana, qualis nunc est; verùm Roma infidelis & pagana, qualis erat sub Nerone, & aliis Imperatoribus, Ethnicis, usq; ad Constantinum Magnum, qualisq; rursum probabiliter futura, tempore Antichristi, ante finem Mundi.

Antiquorum Patrū sensus de Romana Ecclesia.

De Ecclesia Romana quid sentiant Patres, utinam attentè audiant, & penetrent Novatores. S. Irenæus, antiquissimus, & Doctissimus Pater, Episcopusq; Lugdunensis, lib. 3. adversus Hæreses. cap. 3. ait. *Sed quoniam valde longum est in hoc tali Volumine omnium Ecclesiarum enumerare Successiones, maximæ, & antiquissimæ & omnibus cognitæ, à Gloriosissimis duobus Apostolis, Petro & Paulo, Romæ, fundatæ,*

& constitutæ Ecclesiæ, eam quam habent ab Apostolis traditionem & annuntiatam hominibus fidem, confundimus omnes eos, qui, quomodo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter principaliorem principatum, necesse est omnem convenire Ecclesiam, in qua semper, ab iis, qui sunt undiq;, conservata est ea, quæ est ab Apostolis Traditio.

Tertullianus, lib. de præscriptione cap. 36to. *Felix* (inquit) *Ecclesia Romana, cui totam Doctrinam Apostolicam cum Sangvine* (Petrus, & Paulus) *suo profuderunt.*

S. Cyprianus lib. 1. Epist. 3. ad Corneliū Papam; Sedem Romanam vocat, *Petri Cathedram & Ecclesiam Principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est.* & lib. 4. Epist. 8. ad eundem Cornelium, vocat eandem, *Ecclesiæ Catholicæ, Matricem & Radicem. Hæc est illa Ecclesia,* (ut scribit Divus Hieronymus, adversus Ruffinum) *quæ semper immaculata permansit, & Domino providente, ac Beato Apostolo ferente opem, in futuro manebit.*

Est

Est, ut idem S. Doct. in Epist. sua 57. ad Damasum Papam, ait. *Domus illa, extra quam, quicunq; Agnum comederit, profanus est. Est illa Arca Noe, in qua si quis non fuerit, regnante Diluvio, peribit.* Hæc est Ecclesia, *in qua*, (ut inquit D. Augustinus, Epist. 162. & lib 1. cap. 2. contra Epist. Parmeniani, item in Psal. contra Partem Donati) *semper viguit, Apostolicæ Cathedræ Principatus; cui totus Orbis Christianus, in transmarinis & longè remotis terris, subjectus est. Hæc ipsa est Petra, quam non vincunt inferorum portæ.* Similia habet S. Optatus, lib. 2. contra Parmen. Sanctus Leo Epist. 87. & alii; quin & ipse Lutherus Ecclesiam Romanã multũ de prædicat, vide supra pag: 100

NOTA Tertiò.

Ipsa etiam Urbs Christiana Roma, (quæ olim, Valentia, fuit dicta) Sancta est, & Sanctior omnibus, Orbis Urbibus. Ubi enim (ut rectè notat Cornelius à Lapide) tot Monasteria, tot Basilicæ Apostolorũ, SS. Pontificũ, Martyrũ, Virginũ, Martyria & Templa tot hospitalia, tot nosocomia, tot orphanotrophia, quot Romæ? ubi tot charitatis opera, tot misericordiæ sodalitates

Elogium Urbis Romæ cõforme veritati.

tates

tates, tot eleémosynæ, tot pietatis exercitia, quot Romæ? ubi tot Prælati Sapientes, & integri, tot Sacerdotes probi & pii, tot Religiosi Sancti: Tot Virgines DEO dicatæ, quot Romæ? ubi Cives & Populus tam devotus, tam Christianus, tam ardens zelô DEI, uti videmus Romæ? verùm Hæretici, livore cæci, ab his oculos avertunt, & Romæ nonnisi, lupas & gurgustia quærunt & inveniunt, fur enim furem agnoscit, lupus lupam, leno lenam. Hæ enim longè magis exteris, quàm civibus, uti expositæ, ita & cognitæ sunt. Romæ enim est confluxus omnium, ex toto Orbe nationum; in Urbe est Orbis; Quid mirum, in tanta colluvie, esse spurcos, & incestos, quibus, ni lupas permittas, agnos invadent.

Rō: Pontifex adversatur Christo Hæreticorum. Vide infra in Notato IV.

NOTA Quartò.

EX dictis luculenter constat, virulentissimū, & teterrimum probrum esse, si quis in illo cap. 17. Apocal. à S. Joanne, per Babylonem, & meretricem purpuratam, asserat denotari Ecclesiam Romanam, aut Pontificem Romanum,

vel

vel eum censeat Antichristum, seu adversarium JESU Christi, Domini Nostri. Concedendum tamen, quòd Papa adversetur non quidem Christo vero, & communi Fidelium, (ejus enim est, in terris Vicarius, & cultor eximius) sed adversatur Christo, quem colunt Hæretici, præsertim Calvinistæ, quemq; sibi fingunt pro eo, quod non est ipse. Calvinus enim, (ut sat fusè & clarè ostendi in lib. cui titulus; *Admiranda Zvinglii & Calvini.* Tract. 3. cap. 3) cum suis plerisq; Asseclis, impiè docet. Christum non esse natum ex Virgine Illibata; Eumq; seu presśius loquendo, Animam Christi Domini, tempore infantiæ destitutam fuisse usu rationis, & intelligentiæ. Item, Christum Dominum in horto Getsemani, habuisse oblivionem, caliginem, inconstantiam, Divinæ voluntatis repugnantiã, adeoq; re ipsa peccasse. Tempore item suæ pasśionis, damnatorum pænas, in animo pertulisse; & dicendo; DEUS meus ut quid dereliquisti me; in Cruce desperasse. &c. Ejusmodi Christo Calvinianorum, ignorantiâ atq; peccatô laboranti, desperabundo, aut etiam re ipsa desperanti, damna-

torum

ctorum pænas in animo perferenti, haud dubiè potentissimè adversatur Romanus Pontifex; & eo nomine, Antichristus audiri non refugit, ut sapienter annotavit, Eruditissimus Theophilus Raynaudus Tom. 10. in lib. cui titulus *Corona Aurea Romani Pontificis.*

NOTA Quintò.

CAlvinus, nefandi criminis, judicialiter convictus, & in pænam tanti sceleris, cauteriô candenti lilio, in suo humero inustus; ut testatur sub jurejurãdo in vita Calvini á se conscripta Hieronym9 Bolsecus, Medicus Lugdunensis. Itẽ Jacob9 Laingner Doctor Sorbonic9 in vita Calvini; Surius ad Annum 1538. Stapletonus, Campianus Martyr, & præter alios plurimos etiam Conradus Schlusseburgius, primarius Minister Lutheranus. Hic inquam Calvinus impudentissimus, explicando librum Genesis, impudenter Prophetiam illam Nöemi, Genesis cap. 9. v. 25. *Maledictus Chanaan, Servus servorum erit.* Applicat Romanis Pontificibus, ex eo, quòd se vocent, Servos Servorum. Impudenter inquam, nam

Sacræ Prophetiæ, impia Calvinistica detorsio contra Romanos Pontifices.

Papa,

Papa, non absolutè se nominat Servum Servorum, sed cum addito, *Servum Servorum DEI*, quae denominatio est longè alia, ut bene, ante aliquot Annorum centena, Rupertus lib 4. in Genesim, cap. 37. expressit his verbis. *Dixit Noe de Chanaan, Servus Servorum erit, quo additamento, servitus extrema, imò Servilis nequitia, solet exprimi, nisi cum subiectione DEI, dum quis, per egregiam humilitatem suam profitetur se Servum Servorum DEI.* Et ita defacto facit Papa. Porrò ferè primus ex Episcopis Romanis, titulum hunc usurpavit, S. Gregorius Magnus, volendo sic superbiam deprimere, Joannis Jejunatoris, Constantinopolitani Patriarchae, qui sibi arroganter assumpserat, nomen *Patriarchae Oecumenici, sive Universalis.* Exemplum Sancti Gregorii, omnes deinde Pontifices Romani secuti, & quidē tam constanter, ut rescriptum, quod eo titulô careat, habeatur adulterinum; ut refert Joannes de Anania, ad Prooemium lib. 1: Decretalium. Dixi; *ferè Primus*, quia antea S. Damasus Papa, rescribens Stephano, Carthaginensi,

& tribus Conciliis Africanis, in illis suis literis, se subscripserat, *Servum Servorum DEI.*

NOTA Sextò.

In quo sensu Rō: Pontifex est Episcopꝰ Universalis?

EX Cardinalis Bellarmini Tomo 7. quòd apud S. Gregorium, dicatur Episcopus Universalis, qui solus Episcopus ita esse cupit, ut nullos alios patiatur. Sic enim lib. 7. Epist. 69. ait. *Si unꝰ universalis est, restat ut vos Episcopi non sitis.* & lib. 4. Epist. 36. *Si unus Patriarcha Universalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.* Et in tali sensu Papa non est Episcopus Universalis, quasi solus ipse sit Episcopus, & alii non sint Episcopi, sed ejus Vicarii. Est tamen Episcopus Universalis in hoc sensu, quòd omnis ordinaria Jurisdictio Episcoporum, descendit immediatè à Papa, in quo omnis Jurisdictio Ecclesiastica, plenissimè reperitur.

NOTA Septimò.

LUtherani ante multos Annos, ediderunt effigiem Lutheri, æri incisam, cum hac inscriptione; *Divinum, atq; admirabile Vaticinium*

nium Divi Ambrosii & Augustini, de tempore, & adventu Sancti Lutheri, quo contra Antichristum Romanum scribere cœpit, ut in literis hujus versiculi, numerum anni repræsentantibus continetur, quod est apud Christi Fideles admiratione & notatu dignum. *An in Ambrosiano Hymno continetur Vaticinium de Luthero?*

tIbI CherVbIn, & SeraphIn InCessabILI VoCe proCLaMant.

Hujus versiculi, literæ numerales, conficiunt 1517 *quo primùm Domini Anno, Lutherus prædicare cœpit.* Et ob hanc Prædicationem, per illam Prophetiam, per numeros literarum insinuatam, significatur (inquiunt Lutherani) exultatio, & gratulatio Cælestium Spirituum. Sed inscriptionem illam esse erroneam, patet.

Primò. Quia illo Anno 1517, nonnullos tantùm abusus Indulgentiarum taxavit Lutherus. Sed necdum illô Annô, Lutheranus erat Lutherus. Post editas enim pridie Festi Omnium Sanctorum, de Indulgentiis Theses, Missam sequenti die, & aliis sequentibus diebus Festis, illô Annô celebravit, septem esse Sacramenta agnovit, & Papam, Vicarium Christi, testatus est. Imò adhuc ipso Anno 1518. Dominica Sanctissimæ

Trini-

Trinitatis die, scripsit ad Leonem. *Beatissime Pater, prostratum me pedibus Beatitudinis tuæ &c.* Et coram Cardinali Cajetano professus est Fidem suam his verbis: *Ego Martinus Luther Augustinianus &c.* imò adhuc Annô 1519, scripsit ad Leonem Papam. *Plenissimè confiteor Romanæ Ecclesiæ, &c.* vide supra pag. 110. & infra pag. 117. Ergo adhuc tunc Antichristum colebat, & idololatriam exercebat; cùm juxta Lutheranos, Antichristus sit Papa, & Missa idololatria. Quomodo ergo Exultatio Cælestiũ Spirituum facta, ratione Anni 1517, ob Lutheri prædicationem?

Secundò patet, quia juxta lectionem Hæbream, ut est indubitatum, scribenda sunt per M. non per N. Cherubim & Seraphim; & sic provenient Anni 3517.

Tertiò patet. Quia ille versiculus desumptus est ex Isaiæ cap. 6. Ubi Seraphim simili modo clamant; *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEUS Sabaoth*; Ibi autem designatur potiùs excæcatio Judæorum; ut ex versu nono & sequentibus colligitur. Provocatur enim DE-

US

US, ut aſpectu ſuæ Sanctitatis, qua illi omne ſcelus diſplicet, ſcelera & impietatem vindicet. Quare, ſi Lutherani volunt omnino Annum Lutheranæ ſuæ Sectæ primum eſſe 1517. & Chronosticè deſignari illo verſiculô; debent conſequenter dicere, deſignari Lutheri & ejus ſequacium obcæcationem. *Addo.* Advertant Lutherani, in dictionibus his; *Ero ſpIrItVs MenDaX*, contineri Annum 1517, dictamq; Propoſitionem Chronographicam, verè convenire Luthero, ut facilè patebit legenti librum hunc.

Nota demum. Quia plurimi è Novatoribus, præeunte Luthero & Calvino, dum Sermo incidit de Papa, exnunc effutire ſolent, Eum eſſe verum Antichriſtum, in Scriptura Sacra prænuntiatum; vel eſſe maledictum Chanaan, vel aliis fædiſsimis Epithetis Eum afficere non erubeſcunt, ideo.

Primò convenit. Scire quid de Romano Pontifice & Romana Eccleſia ſenſerit ipſe Lutherus, & Janſenius. Lutherus ergo Annô 1519, ad Leonem X. ſcripſit hæc; *Scio Romanam Eccleſiam, puriſsimum eſſe thalamum Chriſti, Matrem Eccleſia-*

Lutherus quàm Sobriè deprædicat Romanam Eccleſiā.

ſia-

siarum, Dominam Mundi, Sponsam Christi, Filiam DEI &c. Habetur hæc Epist. Tomo 1. Epistolarum Lutheri, Epist. 166. vide & dicta supra pag. 100.

Nec non Jansenius.

Cornelius verò Jansenius, quem alii, Insulatum Calvinum (fortè non immeritò) nominant, is Tomo 2. lib. 1. cap. 29. ait. *Mihi constitutum est Ecclesiam, quam ab infantia secutus sum, sensuum meorum, ad extremum usq; spiritum ducem sequi Romanam Ecclesiam, & Beatissimi Petri in Romana Sede Successorem, super illam Petram, ædificatam Ecclesiam scio. Quicunq; cum illo non colligit, spargit apud eum solum, incorrupta Patrum servatur hæreditas. Quodcunq; ab ista Petri Cathedra, in cujus communione à teneris vixi, & porro vivere ac mori fixum est: Ab isto Christi Domini Nostri Vicario, ab isto Ecclesiæ Christianæ Universæ Capite, Moderatore, Pontifice, præscriptum fuerit, teneo; quidquid improbatum, improbo; damnatum damno; anathematizatum, anathematizo.* Item libro 10. de Gratia Christi in Epilogo. *Quidquid de rebus tam multiplicibus, tam arduis, non juxta meam mentem, sed juxta mentem S. Augustini pronun-*

pronuntiavi, & de Apostolicæ Sedis, Ecclesiæq; Romanæ, Matris meæ judiciô sententiâq; suspendo; ut illud jam nunc teneam si tenendum, revocem, si revocandum; damnem & Anathematizem, si damnandum, & Anathematizandum esse judicaverit.

Secundò Convenit. Ut Orthodoxus ad obstruendum os loquentium iniqua, habeat in prõptu Selectos Romani Pontificis Titulos, ex Patribus Sanctissimis ac Doctissimis, & ex Cõciliis Generalibus desumptos. Porrò è plurimis, quos fusissimè cum Eruditissimis Glossis recenset Pater Raynaudus librô suprà citatô, sunt etiam hi.

ROMANUS PONTIFEX est.

Digestio Alphabetica Selectorũ Romani Põtificis Titulorũ apud Patres & Concilia.

Aaron dignitate, Abraham Patriarchatu. *Ita Sanctus Bernardus libro 2do de Consideratione. cap. 8.*

Antistes Summæ Sedis. *S. Petrus Damiani, lib. 11. Epistola 71. floruit Annô 1060.*

Apostolicus Universalis Ecclesiæ, & Episcopus omni

omnium Ecclesiarum. *Concilium Chalcedo: Act. 6. Celebratum fuit Annô, 454.*

Archi-Pastor Ecclesiæ, quæ sub Cælis est. *Sanctus Theodorus Studita Epist. 33. ad Leonem Tertium. Miraculis clarus migravit in Cælum Annô Domini 826. S. Studita.*

Beatitudo, cui Episcoporum judiciaria, & Summorum finem Ecclesiasticorum negotiorum, in honorem B. Petri, Patrum decreta omnium, cunctã reservavêre sententiam. *Tres Synodi Africanæ, in Epist. Synodica ad Damasum Papam.*

Cacumen, ac Vertex humani generis. *S. Petrus Damiani, Opusculo 23. cap. 1.*

Caput Divinissimum omnium Capitum. *Sanctus Theodorus Studita. Epist. 33. ad Leonem Tertium.*

Caput Christianæ Religionis. *S. Petrus Damiani, Opusculo 4to ex Edicto Constantini.*

Caput, à quo membra, quid credendum, quid opinandum, quid tenendum sit, quærere debent. *S. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus (floruit Annô Christi 430) in Thesauro. Citat*

hunc

hunc textum S. Thomas, Opusculo 1. & 19.

Custos Vineæ, à Salvatore ipso deputatus. *Concil: Chalced: in fine & Act: 3. in Relat. Synodica ad S. Leonem Papam.*

Custos Vitæ, & Fidei Christianæ. *S. Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus lib. de Incarnatione Verbi. Capite 1. obiit hic Sanctus Anno 1106.*

Custos Fidei. *S. Petrus Chysol. Serm. 107. & Concilium Ephesinum Tomo 2. cap. 15.*

Custos Sponsæ Domini. *S. Bernardus Epist. 49. & 161.*

Depositor Profanarum Hæresum. *Synodus Alexandrina, ad Felicem Papam.*

Doctor Supremus, Orbis terrarum. *S. Damascenus in Hist. Barlaam. cap. 11.*

Dominus Domûs DEI, & Princeps omnis Possessionis ejus. *S. Bernardus Epist. 237.*

Dominus & Pater totius Ecclesiæ in terra peregrinantis. *S. Anselm. lib. de Incarnatione Verbi cap. 7.*

Episcopus, solus Universalis omnium Ecclesiarum. *S. Damiani, Opusc. 23. cap. 1.*

Fastigium sublime Sacerdotii. *Sanctus Cypria-nus Epist. 52.*

Tituli, quos Romano Pôtifici Concilia & Patres tribuere consueverunt.

Firmamentum Ecclesiæ Corporis Christi, Principatus, & Caput, Pastor humani Gregis, Petra Ecclesiæ, & Clavicularius Regni. *Sanctus Isidorus Hispalensis Episcopus libro de Vita & morte Sanctorum. cap. 69. migravit in Cælum Anno Christi 636.*

Gubernator Magnificus Romanæ Sedis, Summus Pontifex & Universalis Papa. *Episcopi Germaniæ, ad Ioannem 8vum:*

Hæres, cui Orbis Hæreditas. *S. Bernardus, lib. 3. de Considerat. cap. 1.*

Homo hominum præcipuus. *S. Petrus Damiani, Opusc. 23. cap. 1*

Interpres vocis, B. Petri, omnibus constitutus. *Concil. Chalced. Epist. ad S. Leonem Papam.*

Lingva Coelorum. *Sanctus Petrus Damiani Serm. 6.*

Lumen magnum Princeps Sacerdotum primus. *S. Theodorus Studita, lib. 2. Epist. 12. ad Paschalem.*

Magi-

Magister Orbis totius. *S. Damasc. in Hist. Barlaam. cap. 11.*

Medicus unus, singularis praecellens, Catholicissimus, id est, Universalissimus, à DEO provisus, sanandis Christi membris. *S. Ignatius Episcopus Constantinopolitanus, ad Nicolaum I.*

Murus inexpugnabilis, contra omnes Haereses. *Rupertus (floruit circa Annum 1115) lib. 2. Offic. cap. 22.*

Nutritor; cui commissa est Ecclesia. *Sanctus Bernardus Epist. 237. quae est ad Eugenium Papam.*

Oculus totius corporis, ostendens rectam veritatis semitam. *Tarasius Constantinopolit: Episcopus, Epist. ad Hadrianum Papam.*

Pastor unus Ovium, & Pastorum omnium. *Sanctus Bernardus libro 2. de Consid cap. 8.*

Pater omnium Episcoporum & alii Filii ejus, est Princeps & Patriarcha, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, ut qui sit Vicarius Christi Domini nostri suprà cunctos populos &

Universam Ecclesiam Christianam. *Concilium Nicænum primum Canone 39.*

Tituli, quos Romano Pontifici Concilia & Patres tribuere consueverunt.

Pater Christianæ Plebis. *Sanctus Augustinus Epist. 162.*

Pater Orbis. *S. Damiani Opusc. 23. cap. 1.*

Pontifex Summus Magnæ Sedis Apostolicæ. *Concilium secundum Constantinopolitanum, Act. 4ta. Multi Sancti Patres, Romanum Episcopum,* Pontificem Summum, *vel* Maximum, *appellârunt; sic Stephanus Episcopus Carthaginensis in Epist. ad Sanctum Damasum. Sanctus Anselmus in Præfatione Libri de Incarnatione Verbi ad Urbanum Papam. Sanctus Bernardus in omnibus suis Epist. ad Innocentium Secundum & Eugenium Tertium.*

Portus securus totius Ecclesiæ. *S. Theodorus Studita in Epist. ad Paschalem Papam.*

Portus tutissimus Catholicæ Communionis. *S. Hieronymus Epist. 16.*

Primipilus Christianæ militiæ & Signifer Imperatoris Æterni. *Sanctus Petrus Damiani Sect. 37.*

Primas

Primas Primatum, *Gregorius IX, in Epist. ad Gennadium Patriarcham Constantinopolitanum.*

Primas omnium Episcoporum. *S. Leo serm: 2. de sua Assumpt.*

Princeps Episcoporum. *Synodus Epyri ad Hormisdam Papam.*

Propugnator impenetrabilis ab omni errore, quē DEUS providit, doctrinis Eum per omnia veritatis astringens; ut quemadmodum Petrus, ita & hic, affectu ferventiore decertans omnes ad DEUM perducat. *Concil. Chalcedonen. Act.* 19.

Quodammodo fons Cælestis Sapientiæ. *S. Petrus Damiani Opusc.* 7mo.

Rector propriè omnium. *S. Leo Serm.* 2. *de sua Assumpt.* 42.

Refugium Commune. *Sanctus Bernardus, Epist.* 198.

Rex Regum, & Princeps Imperatorum; Præcipuus hominum. *S. Petrus Damiani Opusc.* 23. *cap.* 1.

Sacerdos Magnus, Summus Pontifex, Princeps Episco-

Tituli, quos Romano Pōtifici Concilia & Patres tribuere consueverunt.

Episcoporum. *Sanctus Bernardus libro 2, de Consid. cap. 8.*

Sacerdos Sacerdotum Divinitus omnibus praeeminens, & Pater Patrum, Dominus Noster, ter Beatissimus Papa. *Ita Abbates & Monachi Graeci in Concilio Lateranensi sub S. Martino I.*

Sedes Prima, quae & unamquamq; Synodum sua Authoritate confirmat, & continuata moderatione custodit pro suo Principatu, quem B. Petrus Apostolus Domini voce perpetua, Ecclesia nihilominus subsequente & tenuit semper & retinet. *Gelasius Papa in Epist: ad Episcopos Dardaniae.*

Sol Æterni Luminis. *S. Maximus Epist; ad Marinum Diaconum.*

Sponsus Ecclesiae. *Concilium Generale Lugdunense.*

Thronus Supremus Verticalis, in quo Christus, Fidei Claves posuit; adversus quem non praevalebunt, usq; ad Consummationem, portae inferi; Ora scilicet Haereticorum. *S. Theodorus studita, Epist. ad Naucratium.*

Tuba

Tuba Sanctissimi Spiritus. *Theodoretus in Epist. ad S. Leonem Papam; Præcipuò jure, Papa dicitur* Tuba Spiritus S. *Quia solius est Romani Pontificis proponere infallibiliter Sacram doctrinam, assistente ipsi hac in parte Spiritu S. Item ejus est, omnes ad bellum Sacrum contra errores & vitia potenter animare.*

Turris fortitudinis. *S. Bernardus Epist.* 257.

Vertex Apostolicus Præsulum. *S. Athanasius cum Collegis in Epist. ad Felicem II, & Episcopi Africani ad Theodorum Papam.*

Vertex Apostolicus Præsulum, cujus vetusta solicitudo est, tam mala damnare, quàm revelare laudanda. *Episcopi Africani in Epist. ad Damasum Papam.*

Vertex Ecclesiarum, super cujus firmamentum, Ecclesiæ Columnæ, qui Episcopi intelligũtur, confirmatæ sunt. *S. Damasus Epist:* 4.

Vertex membrorum omnium Ecclesiæ. *S. Augustinus serm.* 124. *de tempore.*

Vicarius Christi. *S. Ambrosius, libro* 10 *in Lucam, cap.* 24. *S. Bernardus lib* 2. *de Consideratione cap.* 8. *& libro* 4. *cap.* 7. *Eu-*

genius IV. cum Concil: Floren: in literis Unionis.
Vicarius Generalis Christi solus in Mundo. *S. Brigitta lib. 7. Revelationum cap. 19.*
Vice Christi fungens, & Summo Pastorum in Apostolica dignitate succedens. *S. Petrus Damiani, Opusculo 7. cap. 4.*
Vir Sedis Apostolicæ, qui Universam plenitudinem Catholicæ Ecclesiæ, benè ducit & ordinatè secundùm Legem Divinam deducit. *Sanctus Maximus Epist: ad Petrum Illustrẽ.*

Desiderium Authoris.

Utinam omnes Viatores, ab ejusmodi Sedis Apostolicæ Viris, ordinatè secundũ Divinã legẽ, deduci se sinant, haud dubiè, terminũ desiderabilem viæ suæ, scilicet Cælestem Patriam, consecuturi.

FIAT. AMEN.



INDEX
Rerum notabilium quæ in hoc libro continentur.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

S.

T.

V.

Z.

Ad M. D. G.

Menda potiora Typothetica, sic emenda.

Pagina 5. *versu* 4to *à fine*, *lege*, refert. *Pag*: 6. *v*. 4. *lege*, inquit. *P*: 49. *v*. 3. contremiscat. *Ibidem v*. 5. *à fine*, meritis *P*. 74. *v*. 9. causis. *P*. 96. *v*. 12. loquatur. *P*. 100. *v*. 2. mortem.





1461

1461. Gengell Georgius. Censura prophetiarum de Romanis pontificibus quaestionibus multifariis illustrata. Leopoli, 1724.

Orsk